



D.F.Y.D.



Q. D. B. V.

DE

CONSILIARIO

Exercitatio,

quam

PRÆSIDE

JOHANNES ERNESTO

GERHARDO, D. ET

PROF. PUBL.

publica disquisitioni

submittit

M. JOH. FRIDERICUS GERHARDUS,

ad d. 14. Decembr.

cl. 1733.

In Auditorio Majori.

J E N Æ,

Typis GEORGII SENGENVALDI.





V I R O

Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo,

**Dⁿ. GÜNTHERO HEINRICO
PLATHNERO,**

**Jcto celeberrimo, nec non Consiliario Saxo-
Vinariensi gravissimo, Protosynedrii Ecclesiastici
ibidem Adessori primario, eidemque longè
meritissimo,**

Domino Patrono ac Promotori ætatem observando

*Exercitium hoc Academicum in debita observan-
tia testimonium, studiorumq₃ suorum con-
mendationem submissè offert atq₃ consecrat*

M. Joh. Frid. Gerhardus.



MOllius infuescant latebris ignobilis otî,
degener hic, vel quisquam alius, qui plenior annis
haud benè consumtis amissa gemiscere secla
denique cogetur, Divæ usque negata Minervæ
annis à teneris. Melior, GERHARDE, putandus,
qui procul à tali juvenum discedere cœtu, &
TE Sophiæ charum voluisti ostendere gnatum
ausibus ingenuis, quales sine munere lauto
non indotatas Pallas gratissima linquet.

Hinc TIBI pro virtute tuâ peramabile fertum
evinctum Lauru viridi nomenque Magistri
vênit: & hoc, vulgo quod nunc exemptus, ad alta
pulpita Doctorum Sophiæ sis ritè vocatus:
& quondam magni attinges vestigia patris
omine felici: *Nostris DEUS adnue votis.*

Gratulor utrumq; hunc TIBI, Docte Magister, honorem,
& magis atque magis venerandam ut amare Minervam
pergas, sum monitor. Sic namque subinde sequentur
his majora bonis: sic ipse audaciùs alis
temporis excedes contagia, saucius igne
tàm validè in Musas, ævum transcendere natus.

*Magni Gerhardi, Theologi incomparabilis filio, sub
Gerhardi fratris, Theol. D. & historiarum Pro-
fessoris auspiciis, de consiliario publicè differenti
adprecatur FELICITER*

GUERNERUS ROLFINCK, D.P.
An-

IN Sacris * Consum Patrem Casimirus habebat.
Te similis justo tempore constituat.

* Anno 1606. mense Aug: B. GERHARDUS
Consiliarius Ecclesiasticus constitutus est à
JOH: CASIMIRO Duce Saxonico, &c.

hoc utratum sit

Per-Eximio Dn. M. GerharDO de Consiliariò
*disputanti Amico suo è multis sincero
ex animò precatur*

M. SEV. CHRISTOPH. OLPIUS.

o
O Factum clarum! cathedram par nobile *fratrum*
scandit, quod rarum quilibet esse putat.
Præsida Gerhardò Gerhardus more Paternò
Consiliatoris munia ritè docet.
Hoc studium certò vestigia clara Parentis
indicat: inceptum compleat ipse DEUS.

ita

Per-Eximio Domino M. GerharDO, Disputationis
*hujus Autori, Cognato, Consalino atqz Amico
meo sincerè colendo gratul. vol. deb.*

M. JOHANNES HOFMANNUS
Arnstetensis.

*Irrepserè nonnulla errata: in prolog. l. qui onus hoc. Cap. 1. §. 5. l. Conso pro
Confus. §. 11. l. c. 3. §. 4. l. Vespillonos. c. 5. l. præpotens. Præterea post sum-
mar. cap. 3. adde: Consiliarii bona, animi, corporis, fortunæ.*

F I N I S.



PROLOGIVM.

INter omnia Reip. munia, quæ multa fanè sunt, & undiquaque diffusa, si à summò ipsius Principis soliò discedamus, primum ferè autumamus esse munus *CONSILIARII*: quod non necessitate modo, sed & rerum amplitudine & splendore dignitatis pleraque omnia post se relinquat longissimè. Nam si Regis aut Principis nomine augustius nihil, nihil divinius dici potest; quantam jam dignitatem judicabimus ejus esse, qui regiarum cogitationum particeps & summæ Majestatis quasi socius audit? Gentiles olim Reges in dubiâ re atque arduâ ad Apollinis Delphici ædem & oraculum confugisse accepimus: Domus *Consilarii* Principis oraculum est; ab illò tanquam ab Apolline quòdam responsa publica postulantur; illius januam ingens semper turba Magnatum frequentat, & qui dubii sæpè & incerti rerum ad eum accedunt, acceptis veluti à DEO quòdam responsis certi & firmi revertuntur. Sapienter proinde Vir iste rerum politicarum scientissimus, Arumæus, *Regis artibus*, scribit, (Vol. I. de I. P. Disc. 32. th. 60.) *prestare illum oportere, qui Regem consiliò adjuvare vellet*. Nec dicam nunc, quam ingens & plenum periculi opus sit, in aulis Principum cum gravitate quâdam versari, summis cum Dynastis agere sæpè, frequenter eos adire, & quid factu opus sit, decenter monere, gratâque sermonis facundiâ persuadere quid summo Principi, ac tantum non dominari velle. Hoc verò quantum difficultatis habeat, existimandum est, Principum mores familiares sibi reddere, Reip. faciem, perspectam prorsus habere, sartam illam tectamque servare, vel si commodum videbitur, elegantiore efficerè & mutare in melius, atq; adeò in quòvis publicæ rei statu intrepidò adesse animò? Arduum, fatemur, ac difficile est vel peritissimo maris nauclero clavum tenenti, ortâ subindè tempestate, & quando

*Unâ Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus, & vastos tollunt ad littora fluctus.*

A

animo



animosè præesse: hoc verò opus est, hic labor, ingruentem Reip. navi tempestatem prævidere prudenter, ortam verò amoliri maturè & sopire, ac in quòvis turbulentissimò rerum publicarum statu intrepidè stare, domi sedendo prudenter imperare, quæ foris pugnando gerenda fortiter sunt. Atque hæc omnia posse oportet *Consiliarium*. Ut ita quantus ejus honos, tantum quoque onus sit. Neque tamen ullo carere modo Imperia ejusmodi Viris possunt, quæ onus hoc subindè subire & decenter perferre sustineant: Sed si ut desint isti contingat, potissimas Reip. partes, à quibus omnis ejus felicitas dependere solet, deesse, querendum omnino est.


Veteres olim Poëtæ negotiorum politicorum non ignari, Palladiò ablatò, evertendam Trojam in fatis fuisse, finxerunt. Quò symbolò quid aliud significâsse eos putabimus, quàm stare Resp. & tantisper florere feliciter, dum Pallas ibi, hoc est, Sapientia & Consilium, regnaret; amissis verò istis Divis, concidere prorsus ac everti? Quod igitur mens & ratio homini: illud Consiliarium Imperio esse, penitus mihi persuadeo, nec unquam hanc mihi opinionem excuti patiar. Circumspice, sodes, universum terrarum orbem, intuere Imperia, Regna, & quicquid usquam est Rerump. nullas sine consiliò, ceu firmò fulcrò, stetisse hætenus, atque feliciter adhuc stare, planè reperiēs.

Tanta proindè officii augusti Majestas, tanta amplitudo, tantaque difficultas meretur certè, quam pleniùs intueamur & penitiùs ad cogitationes nostras revocemus. *JACTA ALEA ESTO*. Restat precari, ut totum hoc nostrum negotium *DIVINA GRATIA* provehat feliciter atque secundet.

CAPVT PRIMVM.

DE

CONSILIARII NOMINE, ORIGINE, & DEFINITIONE,

 *onsiliarius à Consilio, hoc verò vel à consilire, vel à silere: Comitia & Concilia an differant? A. Gellius notatur: SCta duobus fieri solita modis: Tacita: Patricii & Patres conscripti unde? Cancellarii vox enodatur: Theodori Marcilii lapsus.*

S. I. Ufu

§. I. *U*su vocis cognitò in perceptionem ipsius sæpè rei provehi nos, rectè Julius Caesar monet Scaliger, (a) illud ingenii miraculum, ille doctrinæ abyssus, & scientiarum omnium dictator. Nec immeritò. Enimverò, auctore ipso Archiphilosopho (b) *verba sunt nota eorum, quæ animo concipiuntur*, & nominum origines frequenter rei proprietatem ostendere solent. Quare non Grammatices saltem Magistros, sed altioris etiam Sapientiæ homines, & ipsos Theologos, ac summos Juris cæterarumque literarum Consultos haud rarò multum operæ in isthac re posuisse, adeò notum, ut si quis magno conatu probare id auderet, ipsi Soli facem præferre videretur. Nec igitur & me impræsentiarum in nominis, quod sub manibus est, rationem indagare pigebit.

§. II. *C*onsiliarium à *Consiliò* natales ducere suos, pueri norunt, qui nondum ære lavantur. *Consilium* verò, si *Festo*, veteri vocum antiquarum Scrutatori, credimus, dictum inde, quod plurimum ibi mentes in unam sententiam *consiliant* quasi & conveniant; Ex *con* proinde & *silio* conjunctum. Sic enim ut hodiè nonnullis in locis, & olim accidebat, ut quotiescunque de re quâdam consilium instituendum erat, quisquis suam, quam sub pileo tacitus quasi fovebat, sententiam quasi symbolum quoddam adferret, exponeret, coacervaret.

§. III. Priscis Romuli nepotum ævis, quotiescunque de majoris momenti negotiis consilia colligenda erant, *Concilia* vel *Comitia Præconis* voce edicebantur: in quibus populi mentes & sententiæ *consilire* solebant. *Comitia* verò & *Concilia*, ut hæc *ἔν παρόδῳ* adferamus, differre docet ex Læliò Felice *Agellius* vel, ut alii malunt, *A. Gellius*, (c) (quod nomen non nisi hæsitantem se ponere & dubitantem, Lipsius alicubi scribit.) Quam tamen differentiam non adeò anxie ubique observatam fuisse ex bonis autoribus (d) constat. Sed de *Comitiis* plura hîc adscribere superfedemus.

§. IV. Non possum non elegantem isthunc morem, qui in Romanis olim *SCtis* obtinebat, & qui huc maximè facere videtur, impræsentiarum notare. Nempè eveniebat haud rarò, ut homines ibi non mente solum, sed totò etiam corpore in unam

(a) *Exerc. I. sect. 1.* (b) *L. de interpr. 1.* (c) *lib. XV, c. XXVII.* (d) *Liv. lib. 3. Dec. 1. Cic. 1. de LL.*



conflirent sententiam. Fideles etenim Romanæ antiquitatis Secretarii (e) literarum monumentis jam olim consignarunt, duobus SCta fieri solita modis, aut per discessionem, aut per singulorum sententias exquisitas. In SCto per discessionem faciendo id moris fuit, ut Magistratus, qui de re quodam ad Senatum retulerat, diceret: *QUI HOC CENSETIS, ILLUC TRANSITE: QUI ALIA OMNIA, IN HANC PARTEM.* Quamprimum unus jam è primoribus suam dixisset sententiam, alii pari cum ipsò voluntate concinentes, ad ipsius accedebant latus: Cùm verò abluerent alii, ad illius subindè latus se aggregabant, qui aliam protulisset opinionem. Quod si singulorum sententiæ exquirendæ essent, singulari quodam ordine procedebatur, quem alii recensent. Rarum hunc morem, nec omnibus hætenus observatum, suis quondam Auditoribus jam olim instillavit, planumque reddidit Vir de literis, quæ ab humanitate nomen adsciverunt, in Academiâ Salanâ dudum meritissimus, & nunc de scientiarum Reginâ, Sanctâ Theologiâ, Norinbergæ magis & magis merens J. M. Dilherrus. (f)

§. V. Alii, quibus & ipse Festus subscribit, *Consilium à silendo* trahere ortum contendunt: nec id tamen omnes unam ob causam. Vel enim, quod unò consulendò cæteri *confileant* & taciti attendant, vel quod illum, qui Consultationi in publicis præsertim, & maximè momenti rebus interfuit, *silere* omninò oporteat. Nec hoc absque re dictum. Hæc namque maxima Consilii virtus est, consilia Reip. arcana &, ut ille ait, Jovis auribus servanda silentii sipario involvere. Hinc & SCta *Tacita* vocari facilè autumo. Nam ut cuniculi, maximum in rebus bellicis momentum detecti nocent: Sic Principum consilia in vulgus nota, nec, quâ decet, religione secretò habita hosti potiùs, quàm Illis profunt. Hinc & *Consus*, quem DEum consiliis præsidere, indeque id nominis accepisse olim credebatur, aram subterraneam Romæ fuisse, *Rosinus* (g) docet, ut consilia occulta esse debere, tacitè significaretur.

§. VI. *Senatores Consiliariorum* munere functos olim fuisse, nemo ignorat, qui extremis saltem labris antiquitatum monumenta delibavit. Romulus enim urbe conditâ principiò juven-

(e) Gell. l. XIV. c. VII. Ros. l. VII. A. R. c. VII. (f) In Not. MSS. ad Orat. Phil. Cic. Animadvers. IV. (g) l. 2. R. A. c. XIII.

tutem Romanam in militares divisit ordines; reliquam multitudinem sejunxit, eamque *populum* nuncupavit. Dein ex Optimatibus creavit *Senatores*, vel ex ætate vel virtute (prisci namque viros ætate & virtute præstantes *Senum* appellatione honorarunt) sic dictos, ut de publicâ consulerent re, & quid factu opus esset, maturè decernerent. Et hos *PATRES* vocari voluit. Quod nomen dignitatis honorisque plurimum, invidiæ verò minimum præ se ferre videbatur. Paternum namque animum adversus humiliores gerere Senatores decebat. Labentibus porrò temporibus, pluribusque huic ordini adscriptis, *PATRES CONSCRIPTIOS* vocatos, non ineleganter tradit totius eruditionis Venus *Plutarchus*. (b) Videatur, si placet, *Rosinus* (i) & in eum *Dempsterus*. (k)

§. VII. Qui verò ex primoribus istis C. Patribus geniti fuerunt, *Patricios* nuncupatos esse, post alios docet *Andr. Domin. Floccus* (l) Penes hos verò Senatores florente Republ. totius semper Reip. summa stetit, ut ne Reges quidem, Consules aut Dictatores, aut alius quispiam Magistratus inconsulto Senatu quippiam moliretur: adeò ut cum Tarquinius Superbus pleraque præter Senatûs auctoritatem decerneret, tunc demum amisso regiò nomine, Tyrannus appellaretur, si fides habenda dicto *A.D. Flocco* est. (m) Atque hos à peregrinis *Principes in civitate* appellatos fuisse, ex *Pomponio Latò* (n) discimus.

§. VIII. *Adseffores Judicum* Consiliariorum gaudere nomine, nota res est in Jure Civili. Constat id ex totò titulò Codicis Justiniani de *Adsefforibus, Domesticis & Cancellariis Judicum*; ubi plus simplice vice Imperatores Arcadius & Honorius, aliiq; Consiliariorum mentionem injiciunt, quos *Adseffores Judicum* Jcti interpretantur. Nec hi immeritò hoc fortiti nomen fuere. Etenim hi ipsi summâ juris scientiâ instructi consilia juvârunt Judicum, seu consiliis suis adjuvarunt Judices, L. VII. C. de *Adseff. Dom.* allegante Cujacio Parat. in libr. IX. C. p. 49. Quâ ex re *Comites* nunc dicebantur *sedendi*, nunc *participes consiliorum* & quasi *pars Judicum*, vel simpliciter *Consilarii* vel *Consiliatores*. Vide sis laudatum Cujacium (o) τὸ τῆς νομικῆς ἕωτον. Hodiernò

(b) in *vita Romuli post pr.* (i) l. VII. A. R. c. V. & VI. (k) in *h. l. Paralip.* (l) lib. 2. de *pot. Rom. c. 1.* (m) d. l. (n) lib. 1. de *Mag. Rom. c. 3.* (o) in *Comm. ad d. l.*



ævò Adfessores istos *Scabinos* quandoque nominamus, & ipsorum confessum *Scabinum*. De quâ voce plura producere possemus, si id nunc ageremus. Vide *Matthiam Matinium*. (p) Unum verò adhuc adscribemus: *Consilia* pro ipsis *Consiliariis* seu *Adfessoribus judicantiû* apud Authores poni. Observavit hoc doctissimus antiquitatis Romanæ, Græcæ & Judaicæ Secretarius *J. Casaubonus* ad *Suetonium*, (q) Perinde ac matrimonium pro uxoribus aliquando inveniri, aliis nobis testes adsunt. Sed & ipsam *Consiliariorum concionem*, *Consiliû* appellât, nomine ei à fine inditò, propter què inventa est, nec malè. Sed aliis visû *Conciliû* scribere, à *conciendo* seu *concalando* sic dictû. Per me cuilibet liceat, eâ scribèdi ratione uti, quæ illi optima videbitur: re fanè verâ idè notant, nec in hâc re Græciæ salus versatur.

§. IX. Sæpè quoque in antiquis Scriptoribus reperitur, hodieque iterum iterumque renascitur consuetudo illa, quâ iste etiam *Consiliarii* nomine indigitari solet, qui privatis occupatus rebus, vel nobili modò cuidam Viro, huic tamen in dignitatis quòdam gradu collocato, à *consiliis* esse solet. Exemplorum nube adstrueremus assertionem, nisi ea ipsa inter oculos & manus versarentur. Pauca libare saltim impræsentiarum sufficere. Unus instar omnium esto summus eloquentiæ artifex, qui: (r) Interea, ait, amici & *Consiliarii* ejus molestè ferre cœperunt, *Heraclitem* profugisse. Et alibi: (s) Tu me *consiliario* fortassè non imperitissimò quidem, fidei tamen & benevolo usus esses. *M. Accius Plautus*, *Musa decima*, uti plures alias voces, sic & hanc notanter singulari quâdam significatione adhibet. Ita alicubi: (t) *Consiliarius amicus*. Idemque alibi elegantiori quòdam tropò ait: (u) *Jam Senatum convocabo in corde consiliarium*.

§. X. Ast parùm hæc pro nostrò institutò facere videntur, cum omnes hi improprie dicti dicantur *Consiliarii*. Proprie verò dictus his delineari conditionibus potest. Primò, ut publicò nomine vel à summò aliove Principe vel liberâ quâdam Rep.; Dein ut publicæ, non privatæ rei causâ; Et tandem, ut cum solennitate quâdam adsciscatur. Ex quibus jam definitionem *Consiliarii* proprie ita dicti talem componimus: *Consiliarius est officialis publicò nomine ab eò, penes quem summa est potestas, vel quædam Majestatis*

(p) in *Lex. Phil.* in h. voce. (q) In *Octav. Aug. c. 35. f. & T. Flav. Domit. c. 8. pr.* (r) *Orat. IV. in Verr.* (s) *lib. 1. ad fam.* (t) *Truc. 2. Sc. 1. v. 6.* (u) *Epid. 1. Sc. 2. v. 55.*

jura

*jura, solenniter adscitus, ut de rebus publicis consultet & deliberet. Cæ-
teras definitiones, quas definito suo vel augustiores vel latiores es-
se vidimus, consultò missas facimus.*

§. XI. Volebam capiti huic coronidem imponere: sed com-
modum in mentem mihi incidit *Cancellarii*, principem hodiè in-
ter Consiliarios tenentis locum, vox: quam præterire prorsus
haud decebat. Sunt qui vocis hujus originem à *cancellando*, voce
nunquam fortè in civitatem Romanam receptâ (x) ducere arbi-
trantur. Et huic sententiæ calculum adjicere Virum Juris Con-
sultissimum Budæum nunc dicemus. *Cancellare* verò notat scripta
cancellis quibusdam seu lineis expungere seu illinire. (y) Jam cum
munus Cancellarii sit, rescripta Principum vel responsa inspicere,
malè scripta *cancellare*: bene scripta signaculò Principis, ipsius au-
toritate obsignare, ac rem attigisse existimant. Aliis alia arri-
det origo, & à *cancellis* potiùs id nominis ducere gestiunt. Nos
paulò altiùs rem ex antiquitate repetere, operæ ducimus pretium.
Antiquitùs conclave istud, in quò Magistratus & Judices conve-
niebant, in primò aditu vela quædam habebat, dein cancellos.
Quos *Cassiodorus* (z) haud ineleganter *lucidas fores & fenestratas*
appellat *januas*. Ab his cancellis ministros, qui istis adstabant,
Cancellarios dictos esse, nonnulli credunt. Ut hinc miremur Gal-
lorum Jctum cum primis nobilem *Budæum* scribentem: (a) *hoc
noraen non Latinum, nisi fortè à cancellando dictum esse credatur*. Illo-
rum verò hominù munus fuit, adhærere cancellis, admissiones cu-
rare, & ne quid tumultùs, ut fieri amat in turbâ, audiretur, cavere.
Uti hoc pluribus exponit *Agathias*, (b) qui videndus. Et hi illis sunt
isti Cancellarii, quorum mentio fit L. III. & L. VIII. C. de Adsefs.
Ut inde falli videantur, qui eos Adseffores Judicum faciunt, cum
nihil aliud, quàm ministri fuerint. Sunt enim illæ leges Arcadii,
Honorii, & Theodosii: quorum temporibus nullam adhuc hu-
jus officii fuisse dignitatem, ex vetustatis probant monumentis.
Accessisse tamen postea isti mortalium generi dignitatis aliquid,
ex multis Autoribus constat. Adducamus nos unum *Cassiodorum*,
Theodorici Italiæ Regis Cancellarium: qui (c) sic describit hoc
munus, ut faciliè appareat ipsius ætate *Cancellarium* non, ut

(x) ex *Budæi* sententiâ. (y) L. 1. & 2. D. de his, quæ in test. (z) *Var.
lib. XI. ep. VI.* (a) in annot. ad *Pand. p. 108.* (b) *lib. 1. de Reb. Goth.* (c)
lib. XI. Var. olim,

olim, ministrum fuisse tantum, & qui fenestras teneret januas: Sed ex parte quoque ejus, qui hodiè in Principum aulis à libellis supplicibus nomen capit, sustinuisse officium. Consulatur J. Casaubonus suprâ laudatus.

§. XII. Quicquid tamen hujus rei sit, adfirmare audeo, longè inferioris subsellii hominibus nomen id competiisse olim, ac hòc nostrò ævò, quò ad tantum honoris fastigium munus hoc descendit, ut non immeritò *Budeus* vereatur, ut Cancellarii nomen apud nos consentaneum tantæ rei esse possit. *Cancellariatus*, ait magnus iste *Jctus*, (d) *summum hodiè est honorum fastigium, ultrâ quod nihil sperare licet, homini quidem privato & togato: quasi quoddam summa quædam ambientis animi solstitium. Ab eò jam progressus nullus, sed qui se porro commoverit, regredi tantum potest.* Quæ summi viri verba, cum plùs in recessu, quàm in fronte habere videantur, omninò merebantur hìc adscribi. In *Scotiâ* certè tantæ autoritatis *Cancellarius* est, ut in comitiis absq; ejus veniâ nemini loqui liceat. (e) De *Francia* Cancellariò *Budeus* sic scribit: *Cancellarius Francia, cujus id munus, videre, ut nulla Principis constitutio, nulla sanctio, nullum diploma, nullum rescriptum, nulli codicilli Regiè Rep. atque etiam è dignitate Reipl. principalis, exeant: cujus censura aut stylo Principum majestas acta sua eximi nunquam voluit, deniq; qui Principis presentis vicarius, ac peregrè agente Principe interrex quodammodo esse censetur, jure Nomophylax i.e. legum presidium, juris asylum, morum institutorumq; ara, æqui boniq; columen appellari potest atque etiam debet.* Videndus *Vincentius Lupanus*. (f) In regnò *Neapolitano* inter præcipuos officiales *Magnus Cancellarius* est, qui & Secretarii munia obit, & regium sigillum custodit, & gradus in utròque jure, & Medicinâ confert. (g) Sed in *Poloniâ* regni *Cancellarii* & *Vice-Cancellarii* potestas eò usque patet, ut multa inconsultò Rege signare; quæ verò contrà leges esse videntur, jubenti illi denegare possint. Dant responsa regiò nomine, & quibus de rebus consilium haberi debeat, in Senatu proponunt. Diplomatis, edictis, aliisque Scripturis Regiis conscribendis & signandis quæq; ad eum mittuntur, accipiendis legendisque præ-

(d) d.l. (e) In descript. Scot. p. 105. (f) in de Magistr. Franc. l. 2. p. m. 456. ubi integrum caput de hòc Cancellariò scriptum reliquit. (g) in Rep. Ital. p. 92.

sunt. *Stanislaus Krzistanovic* (h) & ex eò *Cromerus*. (i) Quantum verò dignitatis, quantumque onerum hæc dignitas in *Danicâ Rep.* secum trahat, ex *Jonâ Koldingensi* (k) patet. Nec aliter rem se habere in nostris Rebusp. nemini non notum. In *Imperio*, quod *Romanum* dicitur, Elector Moguntinus per Germaniam, Colonienfis per Italiam, & Trevirensis per Galliam *ArchiCancellarii* gaudet nomine. Perinde ut inter seculares Electores Saxo Archimarescallus, Palatinus Archidapifer, Brandeburgensis Archicamerarius audit. V. A. B. Caroli IV. tit. i. Consule hîc omninò *Magnum Jctum Arumæum*. (l)

§. XIII. Nescio proinde quid in mentem venerit *Theodoro Marcilio* Professori olim Regio Eloquentiæ, qui *Cancellarium* eundè hodiè cum *veteris Romæ Cancellariis* esse, adfirmare non erubescit. (m) Sed ab hîc Viro doctissimo sive majoribus negotiis districtò, sive humani ingenii lege commissum istud esse, facilè mihi persuadeo: quare eruditis ejus manibus venia, quam nos quoque petimus, danda promptè est. Nos in viam revertamur, à quâ longiusculè aberravimus: Sed consultò.

CAPUT SECUNDUM.

DE

ORIGINE ET OBJECTO CONSULTATIONIS VARIISQUE CONCILIIIS.

Consultationis origo: *Consiliarios adsciscere aut convocare, quis propriè possit: Consultationis objectum: inquiritur in varia Concilia: Romano-Germanicum: Gallicum: Helvetiorum: Polonia: Anglorum: Hispanicum: Svecicum: Danicum: Moscovia: Turcarum.*

§. I. Satis nos diu exercuit *Cancellarii & Consilarii* vox, & quæ alia hîc spectare videbantur: Sed traxit vara vibiam, & ut Hispanorum utar diverbiò, funis secutus est situlam. Nunc stylum convertamus ad alia. Originem verò Consultationis si quis ar-

(h) in *descript. Stat. Pol. p. 16. & seqq.* (i) in *Pol. p. 143.* (k) in *Dan. Regn. stat. Pol. p. 169. & seq.* (l) *Disc. de J. P. XXXV. cap. 5. Tom. 2. ubi plura, quæ in hujus rei faciunt notitiam videbis.* (m) in *Not. ad Suet.*

B

cesse-



cessere multo opere allaboraret, operam & oleum perderet. Eius enim ortus tum coepit, quo tempore homines diffundi & certis Imperiis contineri coepere. Nam cum publicis impensis & tributis, rerum defensione, bello & armis, contractibus & foederibus, ceterisque negotiis publicis ad Remp. gerendam opus, tum vero & Consiliis Consiliariisque, quorum ope haec omnia felicissime expediri possunt.

§. II. Non tamen privati cuiusdam est *Consiliarios convocare*, sed illius, penes quem summa rerum est, vel quid huic simile. Nam cum publicis rebus conficiendis Consiliarius strictè sic dictus vocetur; publica vero negotia in nullius privati posita manu sint; utique non privatus, sed vel Resp. tota, vel qui summam propè Imperii potestatem tenet in ista Rep. hoc jure, ut Consiliarium adsciscat, gaudebit. Quare nunquam ferè Imperii clavum tenentes conventicula instituere, aut de publicâ re consilia agitare Privatis concedebant, sed id audentibus severissima dicta erat poena. (n) Romanis olim legibus absque summi Principis concessione convenire non licuisse, ex Digestis pariter & Codice Juris probant Consulti. (o) Sic & hodiernò avò Jus universalium Concilia indicendi, in quibus de summâ Reipubl. consilia agitantur, in Romanò Imperiò penes Imperatorem residere solet & Electores: quod videre est ex Artic. XIII. Capit. moderni Imperatoris Ferdinandi III. Herois invictissimi: & solenni istâ clausulâ Recessibus Imperii adjectâ. Quæ omnia suo more solidissime explanat magnus ille Juris publici in Salanâ quondâ nostrâ Doctor, Dominicus Arumæus in *de Comitibus libro aureo*. (p) Et de Galliarum Rege P. Gregor. Tholos. (q) testatur, ab eò Concilia pendere, & ea congregare illum, quando libuerit, cum sit Imperium Monarchicum. Eandem potestatem, ceu peculiare Dominationis signum adferere sibi Hispaniarum Regem, tradit Bodinus, apud quem multa in hanc rem videbis. (r)

§. III. *Objectum* verò *Consultationis*, de quâ nobis jam sermo, sive illud de quo consilia institui solent, est *publica res*. Sed

(n) Bodinus l. 3. c. 7. p. 550. (o) L. 1. § 2. de Coll. & Corp. L. XV. C. de Episc. & Cler. (p) cap. 3. n. 13. & seqq. § c. 7. n. 53. (q) L. 24. c. 5. n. 3. (r) lib. 3. de Repl. c. 7.

cum

cùm publicæ rei salus in variis versari videatur negotiis, fit hinc, ut varia etiam sub Consultationis opus cadere soleant. Cæterum in genere, quæ res in consultationem veniant, & quæ non, alibi docetur. Et de his accuratiùs disquirere, ad Ethicorum scholas spectat magis. Evolvatur, si placet, ipse Philosophus (s) & qui in Eum commentati sunt. Nos impræsentiarum de iis rebus, super quibus Consultationes in Rep. institui soleant, agimus. Consultatur verò ibi imprimis 1. περὶ τῶν πόνων, de pecuniis comparandis. 2. περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, de bello suscipiendo & pace conservandâ. 3. περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, de custodiâ regionis. 4. περὶ τῶν εἰσαγοµένων καὶ ἐξαγοµένων, de iis quæ sunt importanda propter defectum, & exportanda propter abundantiam. 5. περὶ τῆς νομοθεσίας, de ferendis legibus: prout ostendit laudatus Aristoteles. (t) Atque hæc ipsa, in quibus maximè omnem ferè deliberationem versari diximus, ab Aristotele mutuasse videtur Petrus Magnus: (u) Eadem enim ille recenset, & in isthæc quinque capita consultationis materiam dividit, de singulis per partes agens.

§. IV. Porro cùm de variis adeò rebus consilia institui soleant, oportet omninò Principem, in amplis præsertim & longè lateque patentibus Rebusp., diversa quoque Concilia pro rebus diversis adornare. Neque enim fieri potest, ut tot tantaque negotia à paucis expediantur feliciter. *Friedericus Ceriolanus* in suo, quem de Consiliarii Senatorisque officio scripsit, libello (x) septem Concilia recenset. Quæ ex ipsò, cùm fortè in paucorum manibus versetur, paucis hinc referre liceat. Et primum quidem *Quæstorium*, vocat, quod ad reditus Principis tum ordinarios tum extraordinarios recipiendos, servandos item & amplificandos constitutum: alterum politicis negotiis & rebus civilibus occupetur, *togatium* ipsi vocatum: tertium *militare*, quod, ut verbò dicam, Marti sacratum sit: quartum *Annonæ seu frumentarium*, idque de annonâ & belli & pacis tempore Principi prospiciat: quintum *Legale*, cui incumbat considerare, quibus officiis, magistratibus & rectoribus provincia indigeat: sextum *criminale*, mulctis & pœnis imponendis destinatum: ultimum demum *censorium* Ipsi dictum, cuius

(s) l. 3. Eth. Nicom. c. 5. l. 4. c. 5. l. 1. M. M. c. 18. aliisq; locis. (t) lib. 1. Rhet. c. 4. (u) in de Concilio Tract. c. 5. p. 32. & seqq. (x) cap. 1. p. 120.



officium quodnam fit, facile ex nomine patet, pluribus tamen ibi exponit. Atque his septem, quæ jam recitavimus, conciliis Principem alligat noster Cerialanus, qui nec plura nec pauciora Ipsi concedit. *Censeo itaque, ait ibi, nec plura nec pauciora eorum septem esse debere; & ut clarius loquar in re magni momenti, denuò dico, cuilibet Principi septem Concilia, muneribus, negotiis, ministris, dignitate ac potestate differentia instituenda esse: si feliciter ac commodè provinciam regere & administrare velit.* Satis certè pro Imperio! Imò verò satis abundè. Quare de Ejus placitò non immeritò hinc dubitamus. Nos uti certo Conciliorum numero non alligamus Principem: Sic, prout Reip. status exigit, aut commodum videbitur, nunc plura nunc pauciora Concilia haud inviti concedimus. Juvabit excurrere paululùm, atque hinc inde varia Rerump. Concilia colligere. Dici enim vix potest, quantò ornamentò pariter & adjumentò hujus rei notitia prudenti Consiliario esse queat.

§. V. Atq; ut ab *IMPERIO* initium faciamus *ROMANO-GERMANICO*, Consilarii dispeSCI ibi solent in *Eminentiores*, qui & Consilarii Imperii seu Regni appellantur, & *Inferiores*, qui Imperatoris seu Regis à Dd. salutantur. *Illi* Electores sunt, Principes ac reliqui Imperii status, qui vulgò *Senatus Imperii, Reichs-Räthe* audiunt: quorumque sine consensu aut præscitu Imperatorem nihil in arduis negotiis decernere posse, ex *Capitulationis articulis* satis patet superque. *Hi* verò Imperatori ipsi vel præsentés sunt, vel aulâ absunt, *Räthe von Haus aus*. *Illiq;* vel *Ecclesiastici*, qui res sacras suis dirigunt consiliis; vel *Politici*, qui iterum triplici potissimum sunt in classe: vel enim *Consilarii secretiores aulici*, vel *Consilarii militares*, vel *Consilarii Justitiæ*, qui *Ranzelen und Justitiens-Räthe* appellari consuevere. De quibus passim Juris publici Doctores, eorumque facile Princeps Arumæus, consulendi. In *GALLIA* tria imprimis celebrantur Consilia:

I. *Consilium strictum* seu privatum, aut secretius; in quò tractari consuevit, quicquid ad publicum regni statum pertinet, unò verbò, de summâ rerum. Constatque hoc interius agnatis necessariisque Principis, Regni Proceribus, Antistitibus, Cardinalibus, cum Cancellariò atque Jurisperitis, teste Vincentio Lupano. (y)

(y) in de Magistr. Franc. l. 2. p. m. 455. meminit quoq; hujus Job. Tilius de reb. Gall. p. m. 335. & P. Honorius in de Regno Gall. Relat. in f. p. 564.

II. Au-

II. *Aulicum* ab Auctoritate *Magnum* vocatum, quod post Curias institutas Reges Franci coegerunt, ex Viris Principibus & præcipuis aulae Proceribus constans. Caput hujus Cancellarium dicti Autores constituunt. (z)

III. Parisiensis Curia, *Parlamentum* sine loci adjectione appellata: constabatq; olim, si fides *Bodino* (a) centum & quinquaginta hominibus. In tantum verò paulatim hujus Confessus auctoritas excrevit, ut nulla Regis lex, nulla constitutio rata esset, nisi cujus illi Consilarii auctores & approbatores fuissent. De quò plura in scenam proferre possem, nisi hanc operam me sublevassent *P. Honorius* (b) & *Bodinus* (c) & imprimis *V. Lupanus* (d) qui de Parlamenti origine, progressu, partibus ac officio multas ibi complet pagellas. Hujus nominis à verbò Francicò *parler* natales sunt, uti verbum *parler* à *παραλαλεῖν* originem ducere creditur. Non desunt tamen, qui alias hujus verbi etymologias adferunt. In *HELVETIORUM* Rep. Consiliis præest Senatus Helveticus, qui tamen non idem semper est numero: nam aliquando conveniunt præter pagos, uti vocant, etiam alii socii & foederati civitatis Helvetiæ. Atque hic est maximus & frequentissimus Senatus, qui tamen rariùs convocatur, ubi videlicet de bellò aut pace aut aliis rebus agendum est, quæ ad omnes confoederatos pertinent ex æquò. Plerùmque tamen tredecim solum pagorum legati conveniunt, & de rebus ad civitatem Helveticam spectantibus deliberant. Plura qui cupit, adeat *Josiam Simlerum*. (e) In amplò *POLONIÆ* regnò cum unus neque præstare omnia, neq; judiciorum difficultates rectè explicare posse videretur, adhibiti sunt ii Senatores seu Consilarii Regni, qui & consilia actionesque ejus ad salutem Reip. & judicia ad justitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, & monitis consiliisque salubribus, quasi vivis quibusdam legibus, pro re natâ, cum animum ejus informarent, tum potestatem modificarent. *M. Cromerus* (f) Et hic est Senatus Regius seu Regni, sex & nonaginta Consiliariis constans: quorum alii vocantur *maiores*, *minores* alii, qui excluduntur quandoque à secretioribus

(z) Vide *Lupanum* p. m. 476. & *P. Honorium* p. 563. (a) l. 4. de Rep. c. 4. p. 433. (b) d. l. pag. 562. (c) l. de Rep. 3. c. 1. p. 249. (d) d. l. pag. 464. (e) l. de Rep. Helv. 2. p. m. 313. & seqq. (f) in *Poloniâ* l. 2. p. m. 133.



consiliis. *ANGLIÆ* verò Rex (quem nefariò ausu ac impiò è medio sustulit effreni illius libido militis, cujus Duces, ut ita ludamus in nominibus, à coronæ regiæ appetitu, invidiæ facibus, dirisq; incendiis, omine haud vano dicti,) *sanctius Consilium* è Nobilibus, Baronibus, Equitibus, Armigerisque, prout libet olim, collegit, qui in dies singulos aut quoties necessitas postulabat, super gravissimis Regni negotiis deliberatum conveniebant, ut deinceps Principi quàm optumè consulere. (g)

§. VI. Sed *HISPANIÆ* Rex plura omninò & diversa consilia habet, ad quæ remittere solet, quæcunque ipsi tam vivâ voce, quàm per libellum supplicem fuerint exposita. *Undecim* autem præter illa, quæ minoris momenti vocant, consilia auctores recensent. (h) Principale vocant *consilium statûs* : in quò de omnibus, quæ ad Regnorum gubernationem politicam spectant, constituitur, & in quo ea, quæ Regis Majestatem tangunt, ventilantur; constat è primoribus & amplissimis viris totius Regni, iisque haud ita multis. Alterum appellant *Consilium Regium*, in quò deliberatur de vectigalibus regni, de quæ annonâ : constat unò Præsidente & XII. Consiliariis; quorum tribus Rex titulum dedit *Consiliariorum cubiculi sui, Kammer - Râthe* / qui cognoscunt de præmiis & donis, quæ Rex confert in benè meritos, & veniâ, quâ condemnatis indulget. Tertium *Consilium bellicum*. Quartum *Consilium Italiae*. Quintum *Ordinum*, ubi ea tractantur negotia, quæ ad ordines equestres spectant. Sextum *Arragonie*. Septimum *Judicum*. Octavum *patrimonii & erarii regii*. Nonum *Rationalium*. Decimum *Consilium*, quod rationes examinat eorum, quæ in domo seu familia Regis exponuntur. Undecimum & ultimum est *Consilium inquisitionis generale*. Cruentum hoc atrocissimumque *Inquisitionis* consilium est, quod ubi semel comperit, aliquem in quòdam Fidei capite à Romanâ Ecclesiâ dissentire, confestim opponit ei Syllogismum ex igne, aquâ, aut laqueò confectum, qui fortiùs, quàm qui primæ figuræ dicuntur, concludat, & in quo mors necessariò ingrediatur conclusionem, uti in re seriâ jocatur *Thomas Lansius*. (i)

(g) *Autor. d. de Rep. Angl. lib. 2. c. 4.* (h) *in descript. Hisp. Pos. 5. p. 100. & seqq.* (i) *in Orat. contra Hisp. p. m. 375.*

§. VII.

§. VII. In *SVECIÆ* Regnò itidem quinque insigniora Collegia
sive Concilia numerantur. Quorum primum *Collegium Justitiæ*
insignitur. Huic verò subordinata duo alia inferiora sunt; ut hinc
justitiæ Collegia nonnulli tria numerent, infimum nempe, me-
dium, & supremum. Istud constituunt cives in singulis civitati-
bus honestiores iidemque Juris Svecici periti. Illud singularum
Regionum sive Provinciarum Cancellarii, qui Legum custodes
censentur, & hi plerumque generis Nobilitatè vel alià quadam di-
gnitate Viri conspicui sunt. In Linguâ Svecica *Lagman* hos dici,
produnt auctores. Hoc, supremum puta, *Regni Senatores* illustre
reddunt, tantæ hinc auctoritatis, ut ad nullum ab hõc judicium,
provocare aliud concessum cuiquam sit, nisi ad solum Regem. Re-
mittuntur ad supremum hoc Judicium, quæ in cæteris minoribus
Regni judiciis dirimi non possunt, & agitur in isto de causis cri-
minalibus; judicaturque cum primis de inferiorum judiciorum
decretis, si quæ fortè iniqua æstimata. Alterum judicium nobili-
us indigitari *judicium Bellicum* potest. Agitur enim in eo de appa-
ratu & negotiis bellicis, estque hujus Præses supremus Campi Magi-
ster seu exercitus Regii Capitaneus generalis. Tertium Concilium
Cancellariæ jus dicitur, ubi tam de reb. Ecclesiasticis quàm Civilibus
pronunciatur. Præest judicio sive Concilio huic *Regni Cancellarius*.
Decreta hic Regio nomine scripta obsignat, & si quæ ab exteris
ad Regem missa, legit, excutit & responsa ad eadem adornat. Quar-
tum est *Concilium navale*, in quo de classe navali instaurandâ ea-
demque conservandâ, tum quoque de piratis tollendis & securitate
nautis præstandâ deliberationes habentur. Præesse huic dicitur
Amiralis Regni sive classis Regiæ præfectus supremus. Quintum
denique & ultimum Concilium supremum vocatur *Camera judi-
cium*. Agiturque in hoc de redditibus Regis & Regni. Præsides huic
Regni *Archithesaurarius*, idemque custodiæ suæ commissa habet
Regni insignia, Coronam puta, pomum, sceptrum & gladium. Ab hoc
salaria expectare sua coguntur omnes Regis officiales & ministri,
tum qui in aula versantur Regia, tum etiam qui stipendia merentur
in castris. Hæc fide illius, qui de statu Regni Svec. scripsit.

§. VIII. In *DANICUM* Imperium nos conferamus. Ubi
non minus quoque quàm in cæteris Imperiis, *Consiliarios seu Se-
natores*

natores Regni offendimus: quorum numerus XXVIII. rarò excedit, & quodocunq; à Rege vocantur, propriis sumptibus Regi in Regnò præstò esse coguntur. Cancellarius Regis, qui plerumq; in aulâ Regem sequitur, habet sibi adjunctos VII. vel VIII. Nobiles Secretarios; pleraq; tamen negotia tractantur à Rege ipsò. Si autem magni aliquid momenti accidit, *Concilium Senatorum* à Rege indicitur. V. *Jonas Koldingensis.* (k) Magnus verò *RUSSIÆ* Princeps plurimis nobilium tribuit titulum & dignitatem Consiliariorum: quorum tamen operâ rarò utitur, hi generatim *Bojaren* appellantur: quum ceteri, quorum operâ quotidie utitur in omnibus publicis negotiis, *Dumnoy Bojaren* vocentur. Horum numerus certus iniri non potest; & prout in aliis quoq; aulis evenire cernimus, alii, prout gratiâ florent apud Principem, ita potissimum rebus agendis adhibentur. (l) *TARTARORUM* quoq; populorum, quamvis spissâ barbarie obvolutorum, Princeps *Chanus* Consiliariis stipatus esse solet. Imprimis verò *Duces, Coracejos, Ulanos & Murcas* insigniores in negotiis gravioribus semper adhibet, & ad se convocat. Habet sanè & ipse aulæ ministros, idoneos viros, quorum in legationibus aliisque diversis negotiis operâ utitur, & hi in Consiliarios & Officiales Curiales promoventur. (m) *TURCARUM* tandem *Suldanus* (de quâ voce vid. *Bodinus* (n)) pariter *Bassas* suos habet, quos *Consiliarios* seu *Cancellarios*, aut potius *Secretarios* interpretatur Bartholomæus Georgieviz, autor peregrinus, qui, mancipium cujusdam Constantinopolitani Satrapæ fuisse se, fatetur ipse (o) Possemus eâdem jam viâ plura recentiorum pariter & multò vetustiorum Rerump. Concilia annexere, nisi hæc satis multa, & abunde sufficerent. Quæ prout in libris posteritati consecratis reperire licuit, narravimus: faciliè credentes, hanc rerum faciem à multis jam annis in plerisq; fortè mutatam esse.

(k) de Pol. stat. R. D. p. 268. & 270. (l) in descript. Regim. in Moscoviâ Polit. & Civ. p. 90. (m) vid. in descript. Tartar. p. m. 301. (n) l. 2. de Rep. c. 2. p. 190. (o) in Epit. Rer. Turc. p. 41.

CAPUT

CAPUT TERTIUM
DE
SUBJECTO CONSULTATIONIS, SEU
PERSONA CONSILIARII.

Consiliarius Vir sit, non foemina: quæ tamen à multis populis in consilium publicum etiam vocata: foemina Electorum collegio, non aequè Comitibus exclusæ.

§. I. Subjectum Consultationis est Consiliarius Ipse, Vir ordinariè, non foemina: cùm hæc tum ob iudicii imbecillitatem, tum affectuum vehementiam, eosque regendi imparitatem, tum sexus inconvenientiam, & ipsam quandoque honestatem publico consultationis officio, aliisque rebus politicis inepta esse videatur. Foemina, ait Ulpianus (p) ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remota sunt. Non equidem omnem omninò consultandi vim sequiori huic sexui negamus: sed tamen infirmam plerumq; ipsi inesse, cum Aristotele (q) sentimus. Nec desunt prudentiorum mulierum exempla, quæ non inepta aut muliebria sæpè consilia suppeditarunt: Nam ut imperia mulierum, sic nec consilia semper damno. Eas tamen publicis huiusmodi officiis præficere, absolum, & sexui inconueniens videtur. Audiet eas privatim utiliter sæpè Princeps: præsertim si quam Natura paulò magis finxerit ad prudentiam & virtutem. Nec unquam fortè Augustum poenituit Liviam suam audiisse: nec Ferdinandum, Hispaniæ Regem, Isabellam. Cui foeminae Consalvum, Canarias, novum orbem, ejectos Mauros, & hanc magnitudinem suam Hispaniam in parte debere Lipsius adserit. (r) Maritum hæc suum, etsi à se Virum, tamen haud æq; altum & splendidum, ad illustria ista facta impellebat leniter ac ducebat, ceu idem modò laudatus Politicus testis est. Justinianum verò, Imperatorem sacratissimum, in arduis negotiis Theodoram suam Augustam consilii participem fecisse ex Nov. VIII. cap. i. pr. & l. 3. fin. C. de quadrienn. præscript. patere videtur. (s) Ac sumendum esse ab uxore consilium, Accursius (t) annotat.

(p) l. 2. D. de R. J. (q) l. 1. Polit. c. ult. (r) in Not. ad l. 2. Pol. c. 17.
(s) V. Riemer. Dec. 10. quæst. 1. pr. B. Par. Loco de Magist. Pol. §. 150. (t)
in d. Nov. juxta Tiraquellum Leg. Connub. XI. n. 2.

C

§. II. Sa



§. II. Sanè foeminas à multis populis ad publica admissas consilia fuisse, prisca monumenta nos docent. Tiraquellus in d. l. ingentem hujus farinae exemplorum catalogum recenset, non sine jucunditate quâdam legendum. Et apud *Lacedemonios*, populos prudentes, foeminas domi olim imperium habuisse; publicè verò de rebus maximis & dixisse & suffragia tulisse, testem produco omni fide majorem *Plutarchum*. (u) Quod ipsum confirmare videtur ipse *Aristoteles*. (x) Apud Athenienses pariter mulieres publicis interfuisse consultationibus, suffragiaque tulisse, ex *Varrone Tiraquellus* probat. Germani verò veteres sanctum aliquid foeminis nonnullis inesse putarunt; quin & multas earum Numinū instar & ceu fatidicas prorsus venerati fuere. Quare nec consilia earum aut responsa negligebant. (y) Apud Gallos consuetudo olim fuit, ut, quoties de bellō aut pace consultandum esset, mulieres quoque consultationibus hujusmodi adhiberentur. Et toties à nobis laudatus *Arumæus* in nobili isto *de Comitibus* opere scribit: foeminas Electorum quidem collegio, at non Principum confessu excludi; sed in publicis Comitibus etiamnum & sessionem & sententiæ dictionem retinuisse. (z) Sed nimis instituti nostri rationem morantur mulieres: quarum laudes & privilegia rectius alii decantent: nos in viam revertemur, ostensuri, quæ porrò in Consiliariō nostrō requirenda putemus.

§. III. In Virō proinde, qui *Consiliarius* audit, bona sint animi, corporis, ac fortuna. Inter bona animi imprimis *Pietas* elucet. Benè enim *Cyprianus* in *Epist. Consiliorum gubernaculum lex divina esse debet*. Augustam vocem & saluberrimum monitum! quod utinam Principes & Consilarii ubique & scriptum parietibus & intextum aulaeis legant, cogitent, commententur assiduè secum acvolvant. *Sapienter*, scribit homo gentilis *Plinius*, (a) *majores instituerunt nostri rerum agendarum initium à precationibus capere: quod nihil ritè nihilq; providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspiciarentur*. Non equidem fugit nos, impro-

(u) in *Numæ & Lycurgi comparatione* p. m. 77. (x) *lib. 2. Polit. c. 7.* (y) *Corn. Tacitus in de Germ. situ, mor. & pop. c. 8. n. 3. & libr. 4. Hist. c. 61. num. 4.* (z) *V. cap. 4. n. 83. & seqq.* (a) in *Paneg. Traj. dict. in pr.*



bos quandoque homines scelerisque conscios laudanda sapientia
 subministrare consilia; idque pluribus ostendit exemplis *Andreas
 Timquellus.* (b) Noster tamen pietatem colat ametque. Consula-
 tur Theologus egregius *D. Osiander*, qui pulchre: (c) *Non, ait, Viri
 Politici est, officium precandi DEUM, in humeros Sacerdotum rejicere.*
Friedericus III. Imp. Rom. interrogatus, quos e Consiliariorum suo-
 rum numero præ cæteris amaret, respondisse fertur, quod eos, quæ
 DEUM magis revereantur, quam ipsum. Estque in hanc rem egre-
 gia cautio, ut futurus Consiliarius jurejurando metuque Numinis fi-
 dem Principi obstringat. Sic enim Consilarii conscientiam firmiter
 obligatam, castius eum in officio versaturum inter tot illecebras à
 recto abducentes arbitramur. Sed quanta utilitas hujus juramen-
 ti sit, ostendit *F. Ceriolanus.* (d) Sic in *Polonia* ad Regni Consilia-
 riorum Collegium non nisi juratos admitti, testatur *Mart. Cromer-
 us.* (e) Pariter in *Anglorum Rep.* omnes, quotquot in sanctius istud
 Concilium Regis cooptantur, sacramentum prius obligari, scribit
Smithus. (f) *Justinianus* quoque (g) *Judicibus Jusjurandum* præ-
 scripsit, quod ipse alibi omnium horrendissimum vocat, cujus ver-
 ba lectu digna sunt. Apud *Romanos* etiam, qui in Consiliarios
 legebantur, juramento obstringebantur, quod *Camerarius* (h) re-
 citat. Simile quid observatum esse apud *Athenienses*, allegat ex
Plutarcho Hipp. à Collibus. (i)

§. IV. Sicuti verò Consiliarius DEO pietatem: sic Principi suo
 fidem debet. Cùm absque fide Principi suo placere haud queat,
 nec sine pietate DEO: Hæ duæ virtutes fundamen quasi sunt &
 gluten actionum negotiorumque omnium feliciter expediendorum.
 Quare nec Principis semper jussu Consiliarius expectet, sed ali-
 quando vel non requisitus moneat & consulat, si vel gloria DEI
 vel Reip. commodum id ipsum exigant. Dignum memoriâ *Corn.
 Taciti* monitum est: à majoribus concessum, egredi aliquando re-
 lationem & quod in commune conduceret, loco sententiæ pro-
 mere. Sic de *Catone* produnt, quod cùm de aliis rebus consulere-
 tur in *Senatu*, censere se, dixerit, delendam esse *Carthaginem*. Potest

(b) l. ii. *Connubiali.* (c) ad cap. 39. *Eccl.* (d) c. 4. de *Cons. num.* 10.
 (e) in *Polon.* p. 133. (f) in de *Rep. Angl.* l. 2. cap. 4. (g) *Nov. VIII.* f. (h)
Cent. i. Hor. Subcis. c. 33. (i) in *Consil.* p. 31.

enim esse Princeps, qui nil quicquam sapè de negotiis maximè
momenti & ad Remp. spectantibus sciat. Res tamen priùs ad exa-
ctam trutinam pendenda, omnesque circumstantiarum articuli
probè animadvertendi, ut persuadere potiùs Principi, quàm mo-
nere eum Consiliarius velle videatur. *Heroici enim isti animi re-
ctore egent, sed palam habere eum, spernunt.* (k) *Amici nomen apud*
Principem non frustrà teneat. Atque hinc esse puto, quod consul-
tius multi arbitrentur, indigenam potiùs, quàm extraneum hìc e-
ligere; cùm iste fidelis magis esse putetur adversus patriam, o-
mnesque spes intrà ejus limites conclusas habeat; hic verò videat-
ur fidem suam mercede magis expositam habere: ut licet fidelis
sit, timendus tamen, ne à peregrinis Principibus corrumpatur. *Ju-
stus verò Lipsius, Politicorum acutissimus, (l) exteros aut adve-
nas non facilè admittit ob graves quasdam rationes, quas consule-
tò hìc præterimus, easdem tamen apud Josiam Simlerum. (m) in-
venire licet. Admitti tamen & exteri possunt, nisi singularis quædã
circumstantia & adstans necessitas aliud suadeat aut diversum
postulet. Bernenses certè in eligendo Senatu peculiare hoc habent,
quod neminem in minus consilium recipiant, nisi qui in ipsâ urbe natus
sit. Et Scaphusie extra Helvetiam nati non possunt in minorem Sena-
tum adscisci: apud nos verò in neutro Senatu locum habent, ait D. Sim-
lerus, (n) (præclarus in hanc rem locus est, sed quia prolixus, ibi le-
gendus.) Notanter Lipsius: *Ut in quam domum vespilliones veni-
unt, signum est funeris: Sic Reip. labentis, ad quam fulciendam adhi-
bentur peregrini.* Eum tamen Principem, qui multis terris longè
lateque dominatur, non ex unâ alterâve terrâ, sed ex omnibus Vi-
ros, si qui digni appareant, deligere debere atque in Consilia ado-
ptare, non ineptè Politici monent. Sic enim æmulationem plura-
que alia mala cavere poterit. (o) Ast cùm fidè Principi adesse
non cujusvis sit, cùm plerique cum fortunâ potiùs Principis, quàm
ipsò Principe loqui soleant, hinc *animi quoque magnitudo* requi-
ritur, quâ aliquis adversus omnem vim, omnemque eventum præ-
senti sit animo, Principi maturè & fortiter consulat, populo pru-*

(k) *Lamprid. in Alex. Suet. in Vespas. V. Theod. Marc. ad Suet. p. 79.*
(l) *in Not. ad l. 3. Pol. c. 4. (m) in de Rep. Helv. l. 2. p. 367. (n) d. l. pag. 351.*
(o) *V. Fried. Ceriolanus c. 4. l. de Senat. & Cons. offic.*

denter

denter respondeat, & in quâlibet fortunæ facie non animo frangatur, sed pectus gerat imperterritum.

§. V. *Temperantia* porro Nostro opus est, quæ non in cibo tantum & potu mediocritatem præscribit; sed & oculos manusq; facti continent, ne donis atq; promissis pervertatur. Actum est de salute Principis, si Consiliarios habeat, qui à vicinis clam mercedem accipiunt & dona, quæ laceffantur, & aliis devinciuntur. (p) Insigne abstinentiæ exemplum est *Ephialtes*, qui licet pauperrimæ sortis homo, attamen cum Amici decem ipsi talenta dono darent, accipere renuit. *Hæc*, inquit, *me cogent, si quidem reverenter Vos haberem, aliquid præter jus concedere: Sin minus vos observarem, ingrâtissimum haberi.* (q) Sobrietatis verò præclarum monumentum præbet *Epaminondas*, qui cum festo quodam die reliqui cives operam darent Baccho Cererique, solum circumiens arma & muros lustrabat, *Sobrium se esse, dicens, & vigilare oportere, ut aliis ebrios esse & dormire liceret.* (r) Nec imitetur noster *veteres Germanos*, (s) qui de reconciliandis amicis, jungendis adfinitatibus, adsciscendis Principibus, de pace denique ac bello inter pocula consultarunt, tanquam nullò magis tempore aut ad simplices cogitationes pateret animus, aut ad magnas incalesceret. Parum verò commercii est cum voluptate prudentiæ, & ut ille ait, *anima sicciior præ reliquis prudentior.* Sed cum nunc quidem dierum plerumque nec vita nec munus Consiliarii sine convivii consistere possit, multæ potandi artes aut imposturæ potiùs Consiliario fingendæ sunt, ne vino sepultus curam publicæ rei unquam deponat, aut secreta expectoret; sed ut inter madidos & Bacchi flore sepultos ipse sobrius & siccus sedeat. *Friedericus de Marselaer Eques Hispanus* (t) recenset, Hispanum quendam Legatum eluisse evacuationis legem, & pœnam à potatoribus præscriptam, osculo potiùs, quàm evisceratione poculi. Cum sibi subinde à famulo, si quando bibere jussus esset, poculum angusti oris substitui curasset, quod nunc plurimum vini exciperet, nunc oppresso peritis digitis foramine, nil aëris aut liquoris admitteret. Simplicius ille & promptiore tamen

(p) *Salust. in Conj. Catil.* (q) *Ælianus l. ii. hist. var.* (r) *Plutarch. ad Princ. indoct.* (s) *de quibus Tacitus l. de German. mor. c. 22. n. 4.* (t) *Diss. XVII. l. i. p. m. 76.*

ingeniō, qui dum Herculeis haustibus urgeretur ad legem: *Tu quoque fac simile*, fallere maluit, quàm recusare; Coctam saccarō aut cinnamomō aquam, sed in antecessum paratam, paribus poculis cepit, stupentes decepit. Alius accusatio ne invalidudinis exlex esse voluit. Modum ex tempore aliquis invenit, quō simul morem, convivio gereret, & simul naturæ; quō non bibendo biberet & bibendo non biberet. Etenim catharrum simulavit nocturnō frigore contractū, inde saccaro & malis aureis opus esse. Illud igitur non tritum: hæc integra à famulō poculis injecta sunt, adeò liberaliter, ut nihil, aut parū vini superesset. Sic poculis ipsisque potatoribus impositum: nil de negotiis gerendis, nil de mente, demptum fuit. Imò & medicamentis fortè in antecessum paratis uti quandoque, at non abuti aliquis hinc poterit, si omninō ebriorum intemperiam astu fallere nequeat. Apud *Ægyptios* in prandiiis ante omnia edulia *elixas brassicas* comedebant, vel ejus saltem femina; cum illa ebrios fieri non patientur. (u) Eadem de causā *Sybarite*, priusquam bibant, *brassicam* edunt. Veteres verò quibus unguentis odoremque; ebrietati obviam venerint, ex *Pancirollā* (x) constat. Plura in hanc rem suppeditabunt Dd. Medici, quibus hæc discutienda relinquimus, ne falcem in alienam messem mittere videamur. Consiliario, quantum potest, vitanda ebrietas est, si non aliter, at callidè & cum singulari quādā arte. Reliqua vitia præsens otium duntaxat sibi vendicant, ebrietas longè sequens. Nam fit, ut priusquam villū edormiverit aut concoquerit, non minùs ad meditandum aut agendum ineptus sit, quàm cum prorsus sopitus. Nocens monstrum ebrietas! *Consiliario* turpissima, *cujus omnis actio sedulitate, mens Prudentiā, pectus fide, os silentiō obsignari debet.*

§. VI. Sed *notitia statūs Reip.*, cui *consilium* promere velit, maximè commendat *Consiliarium*, ut qui jamtūm sciat, quæ ibi maximè gerenda, omnesque occasionum articulos, quibus rem suam feliciter gerere possit, accuratè animadvertat. *Ad consilium de Rep. dandum caput est, nosse Remp.* Ut inde haud abs re indigenas extraneis anteponendas esse statuunt, cum hi rarò ingeniorum, mo-

(u) *Athen. l. 1. cap. ult. Dipnos.* (x) *Tom. 2. tit. 2. de Porcellanis pag. m. 253.*

rum,

rum, paternarum legum & consuetudinum, totiusque adeò Reip. satis gnari existant. Ex quò facile, puto, patet, nullò modò Successori expedire antiquis Antecessoris Consiliariis repudium renunciare; nisi vel Reip. salus vel extrema Ipsorum malitia prorsus id suadeat. Gnari illi sunt virium Principis: arcanorum Reip. de quibus vel ipsum Principem monere poterunt: assiduò negotiorum usu imbuti probè & perpoliti. Sed si res suas sibi habere Princeps illos jubeat, res plena est periculi. Ut ponderasse hoc secum, arbitrer *Ludovicum XI.* Regem Gallix, quem filio suo Carolo id dedisse consilii accepimus, ne quid in administratione mutaret, sed antiquos familiares, amicos & ministros retineret. *Commodus* verò Imperator tam diu feliciter & prudenter regni habenas tractavit, quamdiu Consiliarios à Patre commendatos in consilium adhibuit. (y)

§. VII. Præter hæc, quæ nunc adduximus, *exquisita* quoque *linguarum scientia*, ut & *Juris prudentia*, *Practicæ*, *Philosophiæ*, & *Historiarum*, rerumq; *Theologicarum cognitio* requiritur, tum propter negotiorum, quæ Consiliariis committi solent, magnitudinem & varietatem: tum propter conversationum diversitatem, quibus omnib; cum laude interesse decet. Illas autem cum primis linguas Consiliarius calleat, quibus vel ipse Princeps delectatur, vel vicini & subditi utuntur, ut sine interpretibus cum his agere valeat. Mirè hæc peritia ad hominum benevolentiam conciliandam facit. Quare laudatur adhuc *Mithridates*, quod viginti & duarum gentium ore locutus sit. *Themistocles* cum Persarum Rege, nisi priùs cognitâ gentis illius linguâ, de Græcorum rebus sermonem secare noluit. Quid è Philosophorum scholis in aulam afferre secum Consiliarius debeat, pridem observatum ab aliis est. (z) Historiarum verò cognitio quantum ad prudentiam publicam privatamque confert! Eam *Leoni* Principi futuro *Basilii* Pater jam Princeps commendavit; *Per historias veteres*, ajebat, *ire ne recusa*. Imperator *Alexander Severus*, quoties consiliò opus erat, litteratos adhibebat, & eos maximè, qui *HISTORIAM* norant, requirens, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres

(y) Confer, si placet, *Zincgreff. Apophth. Germ. p. 15. & 450.* (z) vide *B. Par. Qq. Polit. decad. 4. quest. 2.*

Impera-



Imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent. Coeterum qui imprimis Historici, Græci pariter atq; Latini, vel ipsi Principi vel Consiliariis volvendi, egregiè, sed paucis tamen monstrat *J. Lipsius.* (a) Veteres proinde novasque historias teneat Consiliarius, variasque Rerump. formas animo complectatur, ut quid huic magis, illi præ istâ conveniat prudenter perspicere queat. Juvabit hîc peregrinationes longinquas suscipere, atq; videre

Multorum mores hominum & simul oppida multa,
nec videre tantum, sed tenere quoque & conferre inter se mentis bilance. (b) Instituta enim varia gentium, ritus moresque hominum, formæque civitatum, incredibile est, ad judicium & prudentiam quàm potenter possint. Quin & diversas Principum Magnatumque aulas intueatur, probeque in earum instituta ac mores inspiciat. Nec infructuosum prorsus erit, castra quandoque circumspicere & prudenti animositate sequi. Sed cautione, si ullibi, hîc certè opus est, quam prudenter instillat Lipsius, (c) quem si videris, gaudebis.

§. VIII. *Eloquentiam* verò Consiliario infigne decus & ornamentum adferre dicimus: ast ei prorsus necessariam esse, ut sine eâ omninò Consiliarii partes explere nequeat, nondum concedimus. Sed tùm demum eâ maximè opus esse putamus, cùm vel seditionem molientes pacare, præfractis persuadere, vel ad populum verba facere & legationis munus ad Exteros subire jubeatur. Queis officiis Consiliarii plerumque fungi solent. Nam & Regis Poloniæ Consiliarii & Principi & Reip. inserviunt domi consiliis, foris in Legationibus obeundis, aut si quid publicè cum dignitate peragendum sit. (d)

§. IX. Verbò ut multa dicamus, *totum Virtutum chorum* in Consiliario concurrere decet: & *nulla ferè ars est, hominis liberaliter educati studio digna*, cujus non aliquâ cognitione oporteat tinctum esse eum, qui munus hoc cum laude sustineat.

§. X. De *bonis animi* diximus: restat, ut *corporis* adferamus. Corpus habeat alacre, agile, benè temperatum, nec ferendis laboribus impar. Sit integrum, sine partium defectu, aut insigni aliquâ

(a) in *Not. ad lib. 1. Polit. c. 9.* (b) *V. Aristoteles. 1. Rhet. c. 4.* (c) *Cent. 1. Misc. 22.* (d) *Crom. in Polon. libr. 2. pag. 140.*

de for.

deformitate. Ut in ipsò nutu plurimum authoritatis resideat, in
vultu ipsò atque oculis gravitas humanitate condita eluceat: ma-
jestatem Principis, decorem tanti officii ubiquè repræsentet. Ar-
cenda ab hóc officiò monstra, absint Therites & Mopsi, ne risui
potius sint, quàm honori. Quemadmodum Leonem Byzantino-
rum ad Athenienses Legatum in concione ob corporis brevitatem
risu exceptum fuisse, Bodinus (e) ostendit. Insignis in hanc rem lo-
cus est apud Aristotelem, (l. i. Pol. c. 5.) qui videndus. Vetus namq; o-
pinio non solùm plebejis, sed etiam prudentibus insita, *in elegantis
corporis domiciliò habitare simul elegantem animum*: perinde atque
in splendidà atque insigni domò illustrem virum degere, facilè au-
tumamus. Hinc multi populi tantum corporis flori concessère,
ut reliquis animi dotibus quasi postpositis Regem, velut Numinis
digitò & Naturæ dote designatum delegerint, cui specie eminenti
prænasci cæteris contigisset. Cujus rei plura exempla, quæ nos
brevitatis studiò omittimus, suppeditant *Athenæus*, (f) *Tiraquellus*,
(g) *Piccartus*. (h) Sed ut *formæ*, sic *valetudinis* quoque *ætatisq;*
habenda ratio. Senes depontani & valetudini obnoxii minùs
apti ad hoc officii genus sunt, nec validi fatis laboribus atque mo-
lestiis subindè hinc sustinendis. Apud *Romanos* olim à sexagesimò
annò neminem Senatorum in Senatum cogi, ex *Senecâ* (i) pate-
scit. Et hinc *depontanos*, quorum jam meminimus, nomen sortitos
fuisse, *Nonius* & *Festus* docet, quod à publicis onerib. & à suffragiò,
quod per *pontem* (h. e. mensam angustam, cui suffragia ista impo-
nebantur) ferebant, liberi essent. Ut ad agnatos deducendi isti vi-
deantur, qui Senes eam ob causam id nominis accepisse persua-
sum sibi habent, quod post urbem à Gallis liberatam à junioribus
decretum fuerit, ut qui sexagesimum egressi essent annum, ob cibi
inopiam in Tiberim de ponte præcipites agerentur. Non tamen
excludimus hóc officiò eos, qui firmitate adhuc sunt robustâ con-
siliòque prudenti pollent, quod esse solet in senibus, quos diutur-
nus assiduusque rerum usus peritos ac cautos fecit. Heroicè, ita-
me Musæ ament, *Marcus Aurelius* Imperator, unum jam pedem
in cymbâ Charontis habens, ad *Commodum* filium: *Viros Tibi,*

(e) lib. i. de Rep. c. 3. (f) l. 3. c. 7. (g) l. 2. Connub. n. 44. & seqq. (h) ad
III. Polit. Aristotelis c. XII. p. 429. (i) lib. de V. B. c. ult.

D

ajeбат,



ajebat, rel' nquo experientes & natu grandes, quos consiliorum & laborum socios habeas: Nihil enim Principi honestius, quàm Senum gaudere comitatu. Tales Principis dignitatem, & domus auctoritatem decorant. Prudens hoc senium in Juvenes quandoque cadit, qui hoc propius ad viros accedunt ingenio, quò ab iisdem ætate longius absunt, &

Ante annos animosq; gerunt curasq; viriles.

Ut hinc isti quoq; subire aliquando ingens Consultationis munus possint. Frustrà illi mihi videntur, qui ætatem Consilarii certis includunt annis, cum ea non tam ex annis, quàm moribus æstima-
anda veniat. Sic *Honorium* puerum Consulem à Principe creatum fuisse, discimus ex Jure. (k) Et A. B. octodecim annorum juvenes ad Electoratum admittit. *J. Lipsius* tamen & *H. Arniseus* in alia omnia hic eunt, nec tùm Juvenes admittunt, cum, ut maximè sapiant, & ingenium rerumque prudentia velox ante pilos veniat, auctoritate tamen destituantur, maximò rerum gerendarum momentò. Quid his reponi possit, amicus docebit discursus. Miscendos hos invicem esse omninò arbitramur. Et operæ pretium erit, Juniores ad publicas deliberationes admittere quandoque, ut paulatim prudentiæ huic affuescant. (l) In *Poloniâ* Consiliorum Regis, primariorum præsertim, filios adolescentes in Senatum admitti, non inusitatum est. (m)

§. XI. *Fortuna bona* quod attinet, Consilarii nobiles sint, vel aliàs honestò locò familiâque nati, ne magno huic officio dedecus attrahant. In *Poloniâ* Consilarii, votò Regis, ex præcipuâ & illustri totius Regni nobilitate, generis & virtutum commendatione delecti in Senatum eliguntur. (n) Plerisq; indè in locis nothos, spurios, aliosq; torò illegitimò natos, ab hujusmodi muneris splendore arcere solent. In omnibus *Helvetiorum Rebus* nemini, qui illegitimò torò natus, publica munia obire, Senatui aut Judiciis interesse licet. (o) In *Bernensium* etiam *Rep.* spurios aut aliquâ infamiæ notâ insignes Senatu arceri, ibidem legere est. (p) Num verò aliàs

(k) l. 14. C. de Relig. & sumpt. fun. & l. fin. 4. C. de Privilegiorum, qui in sacra. (l) vide si placet B. Par. 2. q. Polit. decad. 4. quest. 3. (m) *Cromerus* in *Polon. lib. 2. p. 139.* (n) in *Polon. descript. p. 252.* (o) *Simlerus* in *de Rep. Helvet. lib. 1. p. 350.* (p) pag. 368.

homini-

hominibus istis omnes dignitatis portæ prorsus non pateant, alia quæstio est. Assurgendum hîc nobilissimo pari Jctorum incomparabilium, *D. Arumæo, (q)* & *D. Ungepaur. (r)*

§. XII. Percepimus jam Consiliarii dotes: quarum quò pluribus aut paucioribus instructus aliquis, eò majori vel minori cum laude his partibus defungi poterit. *Friedericus Ceriolanus (s)* sic pingit & fingit Consiliarium, omniaque ejus membra, omnesque corporis articulos componit & ornat, ut meliùs nec Apelles in tabulâ penicillò exprimere possit. Sed, ut *Plautus (t)* jocatur, *in aëre piscatur, venaturq; rete jaculo in medio mari.* Minutissima morari, in maximis præsertim rebus, putidum atque ineptum est, & tædium semper prudentioribus attulit. Perfectus ex asse haberi nequit, sed suus cuique attributus error. Neminem mortalium Natura tam conditis finxit moribus, in quò non aliquid desideres, velut ultimam Artificis manum. *Optimus ille & pulcherrimus, qui minimis scatet vitiis.* Magnâ tamen in eligendò isthòc homine, circumspèctione Principi opus est, magnâ prudentiâ. Cunctetur, exploret priùs ingenium, quàm amet. Noscet proindè ipse, aut eligat, quos communis Fama commendat, & qui rem suam privati benè gesserunt. *Basilius Imperator ad Filium: Qui suis rebus malè prospexit, num quid ille benè consulat alienis?* Nec malè ille ad Principem: *Tales nos crede, qualis fama cujusvis est.* Præcipuum Principis munus, Amicos eligere. Neque enim morum indicium semper facit frons, aut qualis quisquis semper est, de vultu statim legitur. Qui, quia fingi potest, & fallere potest.

(u) *Nulla fides fronti est: vultu hic Plato, mente Chorabus,
Ille est Therfites corpore, mente Plato.*

Ejusmodi imprimis legendus Consiliarius, qui geniò suò ingeniòque non magnoperè discrepet ab eò Principe, cui assideat. Sic qui naturæ solutioris & amœnioris est, infeliciùs fortè apud Principem serium aget: & homo severus cogitationibusque seriis nunquam non defixus, displicebit Principi serenæ frontis, ad omnemque lætitiâ ipsi Gratiarum manibus factitato. Ita enim naturâ

(q) *in Disc. XXXII. Vol. 1. de J. P. Thes. 173. & seqq. (r) in singulari quâdam de hòc negotiò dissertatiunculâ. (s) d. l. cap. 4. (t) A sin. Act. 1. (u) Bernh. Bahusius Epigr. 1. 3. p. 46.*



comparatum est, ut quibus quisque studiis capitur, ea in aliis amet. Minister igitur, scilicet, ad Domini actiones, omnesque mores ad Principis componat, sic ubique se gerat, ut dignus appareat, cuius aspectu & colloquio acquiescat Princeps, cum quo cogitationes & consilia lubenter communicet, & in quo maximum rerum suarum praesidium collocet.

§. XIII. Penè hinc praeterieram nobilem istam Politicorum quaestionem: *An acria ista & velocia ingenia ad rem praesentem satis apta sint?* quam sub Iudice adhuc pendere, prorsus arbitror. Sunt enim Politicorum chorò, qui scrupulosam istam in doctrinà ἀκριβείαν damnant prorsus, nec velocia ista ac nimis acuta ingenia admittunt. Quorum interpretes J. Lipsius (x) causam agit, nec contemnendas producit rationes; Significanter Thucydides: (y) Οἱ Φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων ἰσχυροὶ ἵσθαι ξυνετώτεροι, ὡς ὅτι τὸ πλεῖστον, εὐμεινον οἰκῶσι τὰς πόλεις. *Hebetiores, quàm acutiores, ut plurimum meliùs Remp. administrant.* Nonnulli consultissimum fore censent, si misceantur inter se, ut qui alacres maximè & agiles sunt, Collegarum ingenia exercere; contra verò cunctatores magis qui sunt, alios audaciores reprimere quodammodo & temperare queant. (z) Sed quæ diversa ingenia convenient in negotio praesertim omnimorâ experte? Fortè non major saepè inter Ipsos, quàm inter Horologia concordia erit. Arbitrantur Viri docti, non omnibus negotiis quoslibet admovendos esse, cùm alia negotia alia postulare videantur ingenia. Jam cùm saepenumero ejusmodi res obviam veniant, in quibus celeritas quaedam consilii & expeditionis adhibenda: ad eas hebetiores illi, qui plerumque post res consilia adferunt, his velocibus erunt minùs idonei. Subtiles verò isti & inquieti exterorum artes observare poterunt. Nos tamen hinc nondum stabili locò pedem firmamus: Sed nutabundi Iudicum Romanorum more Tabulae huic suetas istas literas:

A. Q. appingimus.

(x) in Not. ad l. 3. c. 4. Adde Schömb. l. 3. c. 23. (y) lib. 3. (z) V. Christ. Först. in Not. Pol. ad l. 4. Annal. Tacit. p. 335.

CAPUT



CAPUT QUARTUM
DE
CONSULTATIONIS FORMA
SEU MODO.

Forma Consultationis seu ipse consultandi actus
è Principis partim, partim Consilarii munere spectatur:
De utroq; brevis instituitur dissertatio: Principis est indicere Con-
silia: num interesse ipse Princeps Consiliis debeat, disputatur: Consilia-
rius loco securo sedeat & tranquillo: Cur sedeat ibi, cause producun-
tur: Votorum pluralitas num attendi ubiq; oporteat, dubitatur: Non
ob quamvis rem natam Concilia convocanda.

§. I. Consilarii functio seu ipse consultandi actus vel status est,
vel solennior. Status, qui continuo ferè apud Principem & circa au-
lam instituitur: Solennior, quando Princeps plures, & ipsos quan-
doque Imperii Proceres convocat, quem Comitia vocant. In statâ,
quam diximus, Consultatione vix opus speciali Indictione, cum
tempus plerumque & locus, quò convenitur, jam antè innotuerit:
In solenni istâ paulò aliter se res habet. In Moscoviâ dies, quibus or-
dinariè privati Principis Consilarii congregiuntur, sunt Luna &
Mercurii, atque Veneris, ob summam diei hujus apud istam Gen-
tem religionem; idque horâ matutinâ septimâ. Quod si extra or-
dinem conveniendum sit, à summò Connestabili per Clericum
Consilii monentur. (a) Magnum Francorum Consilium cogeba-
tur olim horâ septimâ, & à prandiò tertiâ: at decimâ & quintâ di-
mitti solebat. (b) Rex verò Polonia Regni Consilarios presentes ad
Consilium vocat, quoties necesse, cum quibus pro re natâ consul-
tat: qui verò longiùs absunt, non nisi arduis de causis. (c) Locus
eligendus hîc securus & ab omni turbâ remotus. Veteres cum gra-
vioribus se studiis dare vellent, solitudinem eligebant, quam
χευσθὲν πεῖραγμα rem auream Amphydis apud Stobæum indigi-
tat. Unde loca opaca, & ipsam noctem, in quâ altum ubique silen-
tium, exosculabantur, quam consiliis & feriis contemplationibus
destinârunt. Notus ille Senarius:

ἐν νυκτὶ βελή τοῖς σοφοῖς γίγνεται.
In nocte consilium sapientibus nascitur.

(a) In descript. Mosc. p. 91. (b) vide Lupanus l. 3. de M. F. p. 477.
(c) in descript. Polon. p. 131.



Imò Majores nostri sub dio sæpè in campestribus locis & in villis quandoq; Imperiique vicis *Concilia* celebrarunt, quod plurib. monstrat *Arumæus*. (d) Quin & antiquitus in religiosò quòdam locò vel sacris ædibus Consilia habebantur. Apud *Romanos* plerumque Senatus habebatur in ipsis DEORUM templis, ut in æde Concordiæ, in templo Jovis Capitolini, Honoris, Pacis, aliisque. (e) Hinc *Plautus*: (f) *Consilia*, ait, *firmiora sunt de divinis locis*, i.e. Consilia de divinis locis profecta, stabiliora & meliora sunt. Tùm Reges quoque in templis sedentes suis civibus jura dabant: & item in templis Legatos ad se missos advocabant, ibique aures præbebant vacivas. (g) Quare & alii veterum loca Judiciorum templis vicina esse voluerunt, ut Judices DEI & divinæ ultionis memores fidem & æquitatem fideliter tuerentur. (h) Posteaquam conveniunt consultaturi, *sedent* plerumque. Cujus rei causam inquirere nobis liceat. Solenne illud: *Sedere Judicium & Pratorum est*. Nam qui res magnas indagare velit, constanti sit animo, sedato & benè composito. Qui magis talis esse potest, si & corpus quietum & sedatum est. Quò & *Plautus* (i) sed ludens respexit: *Sedens*, inquit, *nimiò plus sapio*. Ille verò seriò dixit: *Romanus sedendo vicit*. Quod si verò extra ordinem in Conciliò verba quis facere velit, surgit plerumque, & ad majorem emphasin pronunciationis actionisque *stando Oratorem agit*. Idem obtinuisse in *Romanorum* Senatu *Rofinus* (k) putat. Dubios tamen in re isthac nos reddit nobilissimus idemque doctissimus *Barnabas Brissonus* Senatùs Parisiensis quondam Præses, (l) qui ut hinc evolvatur, omninò meretur. Coeterùm *sessionis* prærogativa in majoribus istis Conciliis quantas sæpè excitavit turbas, quantasque publicis istis consultationibus injecerit remoras, multa nos docent exempla, quæ recenset *Arumæus*. (m) Quare ne rixentur invicem, neve Consultatores alterius causâ prorsus Concilium subterfugiant, locandi illi antè sunt, quàm convenient. Et optimè ille facit Princeps, qui maturè inter Consiliarios liticulam hanc dirimit.

(d) cap. V. de Comit. n. 19. & 21. (e) vide *Taubm. ad Mostell. V. Sc. 1.*
 (f) d. l. (g) *V. Virg. l. 1. & 7. Æneid.* (h) *Plato l. 6. de LL.* (i) in *Mostell. Act. 5. Sc. 1.* (k) *lib. 7. c. 7. p. 1108.* (l) in *de form. & solenn. P. R. verbis opere insigni lib. 2. p. 182.* (m) *de Comit. cap. 7. p. 523. & seq. & antec.*

§. II. Seditibus jam Ipfis & ad rem præsentem compositis, ipse Princeps vel alius Ejus nomine totum negotium proponere solet. Quod ipsum tamen antè quoque denunciari fœvit, ut majori rerum peritiâ instructi prodeant. Sed hîc ingenti conatu quæstio illa inter Politicos Auctores agitur: *An Princeps ipse Consultationibus interesse debeat?* Negantium castra non pauci sequuntur, moti eâ cum primis ratione, quòd rarò fideles adeò & audaces inveniantur, qui in conspectu Principis liberè sententiam dicant, & se expectorent; quin plerosque eò inclinare videas, quò Princeps. Contrà eunt alii, & decere Principem interesse omninò Conciliis, manibus pedibusque contendunt. Coram enim Principe si qui mali sint Consiliarii, minùs audebunt; si boni, fideliores erunt, & magis excitabuntur. Rixæ quoque & contentiones noxiæ sic vitabuntur. Huc facit *Jacobi Regis magnæ Britannia ad Henricum filium monitum: A Consiliis secretioribus rarò absis.* Estq; omninò etiam non è populi solùm sive subditorum, sed ipsius quoque Principis commodò, si non penitùs sese Consiliis subtrahat, nec gubernacula solis Consiliariis committat. Quâ de re videantur, quæ habet *B. Parens meus. (n)* Sunt qui suadent Principi, ut vel ignorantibus ipsis Consiliariis captet eorum sententias. Turcarum certè Princeps (o) Senatui rariùs interesse consuevit, sed interiore & proximò Senatùs habendi locò semper consistit, aut consistere putatur, ut omnes omnium sententias audire, gestus etiam uniuscujusque liberè contemplari, nec tamen ipse videri possit. Ita fit, ut Senatores, qui Principem se assiduè intueri putent, majori studiò sententias suas expendant, priùs quàm in medium proferant. Prudens, nisi fallor, institutum! Simile omninò de *Alexandrò Magnò Curtius (p)* prodit, dum eum *nec quicquam eorum, quæ jactata erant, ignorasse scribit, quòd post aulaa, quæ lectis obdlexerat, staret.* Nos mediâ, eâque tutiori incedimus viâ. Dicimus istis negotiis, quæ publicam spectant rem, gravioribus præsertim, Principem sæpè adesse debere: istis verò quæ Principis Ipsius fortunam ejusque res propiùs tangunt, ut se subducat, liberamq; consultandi potestatem Consiliariis relinquat, consultam arbitramur.

(n) *Locò de Magistr. Polit. §. 153. circa fm. (o) V. Bodinus l. 3. de Rep. c. 1. p. 246. (p) lib. 8. cap. 5.*

§. III.



§.II I. Principis porrò est, cum judiciò sententias audire, sine pertinaciâ libertatem admittere, nec verba illa byssina Aulæ amare. Divinum *Marci* Principis eloquium est: (q) *Æquius est, dicentis, ut ego tot taliumq; amicorum consilium sequar, quàm tot talesq; amici meam unius voluntatem.* Consiliarii est, attentè rem ponderare, liberè sententiam dicere, & Principem optimè instructum dimittere. Optandum equidem esset, ut ponderarentur semper, non numerarentur vota: Sed in majoribus istis Conventibus, obfuetam istam tot capitum ad dissentiendum facilitatem vix id sperandum. (r) Neque enim aliter fortè speranda erit concordia, aut finem consequetur Consultatio, nisi major pars vincat minorem. Quam ob rem Juris Conditores, ubi à pluribus decernendum quid est, majoris partis consensum approbant. Eosque sequuntur hodiè *Imperator & Imperii ordines in Comitibus.* Et olim quoque idem apud *Romanos* obtinuisse, palam est. Nam in Senatu juxta atque Judiciis pro majoris partis sententiâ aut SCtum fieri aut pronounciari solebat. (s) Sanè Lex ita præcipiebat, quæ talis erat: QUOD JUDICUM MAJOR PARS JUDICARIT, ID JURATUMQUE ESTO. *Augustus Buchnerus* (t) observavit, quem nominare, laudare est. *Numerantur* ait ipse *Plinius* (u) *sententiae, non ponderantur.* Quæ quidem ratio sic invaluit, ut, si SCta fierent, non sanioris, sed majoris probaretur consensus: neque quàm prudentes, sed quàm multi censuissent, intererat. *Dempsterus.* (x) Quod quidem in amplis istis sic fieri opus fortè est: in concisò verò, non item. Olim sententiis singulorum exquisitis, *Senatus Consultum* præscribatur. (y) Moris verò erat, ut & scribendo res, de quâ rogatæ sententiæ fuerant, summatim & succinctè repeteretur. Delectabit forsitán exemplum & formulam in hanc rem solennem hîc adferre, quæ talis: *Quod M. Marcellus Consul verba fecit de provinciis, D. E. R. J. C.* Quæ verba sic interpretatur *Valerius Probus: De eâ re ita censuerunt.* Majorum SCta imitari hîc videntur prudentissima nostrorum Jctorum Responsa solenniter rescri-

(q) *V. Capitol. in Marc. Antonin. Phil.* (r) *V. Disc. 2. Arum. Vol. 5. p. 158.* (s) *vide Barn. Brissonium de form. & solenn. P. R. p. m. 184.* (t) *ad Ep. Plin. 14. l. 8.* (u) *l. 2. Epist. 12.* (x) *in Suppl. Ros. ad lib. 7. c. 5.* (y) *Rosin. l. 7. A. R. c. 7. p. 1109.*

pta.

pta. Totius enim negotii, quò de consuluntur, summam plerumque succinctè exponunt, & solennia ista verba adjiciunt, sic signata: *B. R. B.*

§. IV. Capiti huic imponemus coronidem, si priùs illud hìc notaverimus: *Non necesse semper Principi esse, pro re quâlibet natâ Concilium ut statim convocet; sed commodum omninò videtur atque tutum, uni potiùs aut alteri, quèis maximè fedit, sententiam exponere, consiliumque petere, præsertim si res silentium postulet.* *Carolus V.* Imperator ultrà quatuor Consiliarios in arcanis rebus secum non adhibebat, ac cum his conferebat. Sic & *in Poloniâ* excludi quandoque minores Regis Consiliarios à secretioribus Consiliis suprâ audivimus. Imprimis tamen imitetur Princeps prudens Imperatoris *Alexandri Severi* exemplù, de quò *Lampridius*: Fuit illi consuetudo, ut si de jure aut negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet; Si verò de re militari, milites veteranos & senes benè meritos & locorum peritos ac bellorum & castrorum. Decet namque peritos in quâque re maximè audire, iisque credere.

CAPUT QUINTUM
DE
OFFICIO CONSILIARII.

Officio Consilarii spectatur præsertim vel in Consultatione vel post ipsam Consultationem. Ibi Ejus est, frequenter adesse, liberè, modestè tamen, sobriè & intrepidè sententiam dicere: providè ubiq; & si res patitur, cunctanter: cedere, nec contumaciter inherere: mentem compositam, sedatosq; habere affectus: Hic decet eum filere arcana, decente constantiâ tueri semel data consilia: nec nimis ex eventu consilii dati aut letari aut tritari.

§. I. Nullos labores, nullas molestias, odia nullius aut iras timeat nimis Consiliarius: Sed intrepidè frequenterque Senatum, adeat, & pro veritate ac justitiâ, quanquam alii repugnent, fortiter pugnet. Nec Concilium, si negotium illi aliquod, cui illasâ conscientiam calculum adjicere haud liceat, tractatum iri noverit, subterfugiat, aut itinera morbumque prætetendat aut alleget. *Boni Senatoris est, in Senatum semper venire.* Et summum crimen olim erat,

E

non



non petitō & concessō commeatu à curiâ abesse. Ex Corn. Tacitō
Rosinus. (z) Qui itaque Senator non aderat, is legitimâ accusatio-
 ne agebat, aut in culpâ erat, tûm mulcta ei indicebatur, quæ dum
 solveretur, pignus ab eō capiebatur. (a) Liberè proindè sententi-
 am dicat, omnemque adulationem, aulæ plerumque comitem.
 (horrendum nomen) cane & angue pejus fugiat: nec *Alexandri*
potius purpuram quam Ipsum veneretur; nec ad gratiam & curam
 magis, commodique sui rationem, quam ad Imperantis & Imperii
 utilitatem eloquatur. Cujus farinae Consiliarios *Cambysi* quon-
 dam adstitisse, *Herodotus* refert. (b) Nam cum is sororem uxorem
 ducere decrevisset, Consiliarios adiit prius, consultaturus ipsos,
 num excusari possit, si animo suo morem hîc gereret? Providè
 quidem illi, at non satis fideliter, id responsi dedere. *De ducendâ*
sorore nullum quidem in Persiâ reperiri legem, sed extare aliam, quæ
Regi legem obstare non patiatur. Simile quid de *Anaxarcho* in *Plu-*
tarchi Alexandrô legere est. Sic nempe sæpè bonus venditur Impera-
 tor. (c) Modus quandoque inveniendus, quò liberè & sine nocu-
 mentō sententiam dicat Consiliarius. Priscis Romanorum tem-
 poribus tabellæ postea inventæ sunt, (nam primùm per benè mul-
 tos annos suffragia voce tulerunt, (d)) quib. suffragia colligerent,
 ut liberiùs quisque sententiam proferre posset, & absque ullô me-
 tu periculi. Sed *de Tabellis*, & universâ seu voce seu his ipsis Tabu-
 lis suffragia ferendi ratione multa utiliter collegit sæpiùs lauda-
 tus Autor. (e) quem cupidus rerum antiquarum lector evolvat,
 nec sine jucunditate aliquâ leget.

§. II. Decet quidem non quæ suavissima, sed quæ optima di-
 cere; sed arte tamen quâdam hîc opus est, & prudente modestiâ,
 quæ temperet & aurigetur dicta, facta, & quasi axis sit, circa quam
 cunctarum actionum Consiliarii sphaera volvatur. Illi profectò sa-
 piunt, qui specie obsequii regunt, ad omniaque, quæ agenda sunt,
 quietâ industriâ adsunt. Hephæstion illud egregiè præit; de quò
 sic *Curtius*: (f) *Libertatis in admonendo (Alexandrum scil.) non alius*
jus habebat: quod tamen ita usurpabat, ut magis à Rege permissum,
quam vindicatum ab eō videretur. Calisthenes verò apud *Alexan-*

(z) lib. 7. R. A. c. 5. inf. (a) d. l. c. 7. (b) lib. 3. (c) *Vopiscus in Aure-*
liano. (d) *V. Rosl. 8. c. 3. p. 1333.* (e) lib. 6. R. A. c. 7. § 14. (f) lib. 3. c. 12.

drum

drum intempestivè liber, & superbè stultus. Quæ debebat, dicebat, sed non quomodo debebat (g) Nam si Princeps omninò confitatur, nec ab iniquâ sententiâ moveatur: non magnò subindè conatu recalcitrandum hîc esse arbitraret; sed potiùs differendam ad dies aliquot suasionem, donec defervescat paululùm animus & iræ fluctus sedentur. Arte opus est, quod diximus, & flexu: obliquâ viâ eundem sâpè, si non licet rectâ; ac naucleri exemplò, eò quò possis, si non quò velis, tendas. Non multis abhinc annis in *Constantinopolitana* urbe modum quis invenit, quò & Justitiæ satisfaceret & Principis jussui; ac sic non parendo pareret, parendo non pareret. Res ita habebat: Cùm festò quòdam die *Turcarum Sultanus* animi exhilarandi causâ navi veheretur, ac tres *Galli* obviam fortè facti, morum institutorumq; Turcicorum prorsus nescii, coram Principe caput nudarent: Princeps tantâ subinde ob istam rem irâ exardescere cœpit, ut statim, ac vidit, cruci hos ipsos adfigere jusserit. *Gran Vezier* verò, ut morem Principi gereret, & innocentia aliquid daret, tres homines capite antè damnatos Gallicò jam vestitu indutos ad ultimum supplicium rapi mandavit. Memorabile factum! quod ex *novellis Relationibus* observare tunc licuit. (b)

§. III. Oportet Virum prudentem dicere, si quid non rectè administrare ei videatur, sed eâ tamen lege, si futurum putet, ut neque frustrâ dicat, neque manifestum vitæ periculum incurrat. Quod tamen sic verum, nisi vel ipse Rex vel Regnum professum naufragium incurrat. Tunc fidum Consiliarium boni publici causam liberâ linguâ & summâ fiduciâ tueri decet, atque cum *Themistocle* ad *Lacedæmonium* exclamare: *Feri, sed tamen audi.* (i) Immortalitati nomen dudum transcripsit *Lavacrius* curiæ Præses, qui *Ludovico XI.* Parisiensi curiæ exitium minanti, nisi leges à se latas promulgaret: *Mortem*, purpuratorum Patrum ore respondit, *subibimus potiùs, quàm tuas leges iniquas ferri patiemur.* *Lansus.* (k) Laudabile est *Prisci Helvidii* factum, quod refert *Arrianus.* (l) Ad hunc cùm *Vespasianus* misisset, ne in Senatum veniret: *Penes te*, inquit,

(g) *V. Arrian. l. 4. de rebus Alex.* (b) *Constantinop. d. XIV. August. Anno 1645.* (i) *Plutarch. in Themistocle.* (k) *in Orat. contra Gall. p. 338.* (l) *in Epictet. l. 1. c. 2.*



est, ne me Senatorem esse pariaris, quamdiu autem me loco non moves,
est in curiam mihi veniendum. Agè, at ingressus taceo; inquit, ne me
roga & tacebo. At est mihi rogandum, & mihi dicendum, quod re-
etum putavero. Verum si dixeris, occidam te. Quando ego tibi dixi, me
immortalem esse? Tu tuum facies, ego meum; tuum est, occidere, me-
um, mori non tremementem. (m)

§. IV. Et ut omninò probè Consiliarius partibus suis funga-
tur, Principum acta & gesta propius sæpè inspicere, eaque diligen-
ter volvere & revolvere debet, & quæ è Principis aut boni publi-
ci re videbuntur, maturè exponere, ut ut ambiguo sæpè id fiat fa-
to; ceu *Martinusium* præceptum *Ungariae Regis & Ferdinandi I.*
Consiliarium, cum relegendis pro more rerum agendarum Com-
mentariis intentus summò mane mensæ adsideret, miserè, Regis
jussu, pugione trucidatum fuisse; *Thuanus*, Historicus illustris, scri-
ptum reliquit, qui evolvi potest.

§. V. In dandò verò Consiliò providam ubique Noster ad-
hibeat cunctationem. Neque enim quicquam magni discriminis
consiliis tam inimicum, quam celeritas. (n) Quod in communi
istâ rerum administratione obtinebit: At si nova aliqua & subita
ingruat tempestas, ubi negotium mora pessundaret, præstat cape-
re calida consilia, quam nulla. Et hîc oportet in arenâ consilium
capere, quod Gladiatorum verbum. Hæc illa animi vis, quam com-
mendat adeò in *Themistocle Thucydides*, quòd fuerit in subitis inve-
niendis, cum res postularet, excellens, & ut ipse loquitur, *νεγλιτος*
αυτοχρηδίαζεν τα δέοντα. In Historiâ Romanâ laudantur *Tullius*
Hostilius Rex & Papyrius Cursor propter salubria consilia inter ipsa
pericula inita. Ac de *Claudio Tiberiò, Cesaris Octaviani* privignò,
Sext. Aurel. Victor in Epit. notanter commemorat, quòd repentinis
responsionibus aut consiliis melior fuerit, quam meditatîs. Atque
velocibus istis ingeniis in bellis gerendis omninò opus. *Bessus*
Dux, Alexandri celeritate perterritus, Diis patriis sacrificio ritè fa-
cto cum amicis ducibusque copiarum inter ipsas epulas de bellò
subinde consultabat, ut habet *Curtius*. (o)

(m). Vid. & *Job. Bisselium in Icariâ p. m. 203. & seqq.* ubi elegans
continetur exemplum monendi & cum Principibus modestè agendi.

(n) Videatur, si lubet, *Christ. Förstnerus ad IV. Annal. Tac. p. 333. (o) lib.*
7. c. 4.

§. VI. Imi-

§. VI. Imprimis caveant Consiliarii, ne crebris contradic-
tionibus, aut subtilibus disputationibus bona consilia invicem de-
struant, & dies rerum verbis terant. Aberit proinde omnis discor-
dia, omnis æmulatio, omnis demum noxius adfectus, à quò omnis,
qui de rebus dubiis consultat, vacuus esse debet. (p) Aristides Themis-
tocoli valdè adversus, cùm unà Legati missi essent, & ad urbis por-
tam jam venissent: *Visne ô Themistocle, ajebat, inimicitias paulisper*
hic deponamus, recepturi eas, cùm redierimus? Noster pariter, ante-
quam in Regii Palatii limen pedem ponat, quicquid bonis consiliis
noxium, statim deponat. *Res communis sine communiione animorum*
nunquam satis feliciter administratur. Facere non possum, quin egre-
giam istam Inscriptionem, quam in *Altenburgensis Cancellariæ* ve-
stibulò ipse non ita pridem legi, adpingam:

EXCUTE MANUS AB OMNI MUNERE. PARTES PA-
TIENTER AUDI. BENIGNE RESPONDE. JUSTE JUDICA.
QUISQUIS CONSILIARIUS CURIAM OFFICII CAUSA
INGREDERIS. ANTE HOC OSTIUM PRIVATOS AFFECTUS
OMNES ABJICITO IRAM VIM ODIUM AMICITIAM A-
DULATIONEM. REIP: PERSONAM ET CURAM SUBJICI-
TO. NAM UT ALIIS ÆQUUS AUT INIQUUS FUERIS: ITA
QUOQUE DEI JUDICIUM EXPECTABIS ET SUSTINEBIS.

Quam Inscriptionem & marmoreæ Tabulæ in *Ratisponensè*
curiâ incisam esse, testatur, *Schönbornerus.* (q)

§. VII. Peractâ Consultatione providè & curiosè non verbis
tantùm atque factò: Sed signis quoque atq; ipsò vultu & adspectu
tegenta Consiliorum arcana sunt. *Res magnæ, Curtio* Judice, (r) *ab*
eò sustineri nequeunt, cui tacere gnye. Quare Principes & tot populi
in eam semper curam incubuerunt, & adhuc incumbunt, ut Reip.
Consilia silentii sipariò penitus obvolvantur. Agmen exemplo-
rum adducere possem, nisi collegissent jam ante præter reliquos
Politicos *Lipsius,* (s) *Zevcotius,* (t) *Förstnerus;* (u) Et Poëtæ fabu-
lantur, *Tantalum* cœlitum mensâ ejectum decantatas jam apud in-
feros dare pœnas, quòd illorum arcana mortalibus revelasset. Ve-
teres verò Jcti, publicorum consiliorum renunciatores, ceu trans-

(p) *Salust. in Catil.* (q) *lib. 3. Polit. c. 24.* (r) *lib. 4.* (s) *lib. 3. c. 5.* (t) *in*
Suet. Caesar. c. 65. p. 154. (u) *ad l. 2. Annal. Tac. p. 165.*



fugas, aut vivos exuri, aut furcæ suspendi sanxerunt. (x) Lex Ægyptiorum abscindi linguam illi iussit, qui arcana Reip. palam fecisset, auctore *Diodorô Siculô*. Alexander cum arcanas quasdam literas *Hephestioni* legendas dedisset, detractum anulum ori ejus admovit. Quisque, simul ac Consiliariorum cœtui adscriptus, sibi id factum, & os clausum signatumque esse putet. Pariter *Antigonus* Rex ipsi filio sciscitanti, quô tempore castra moturus esset, *An vereris*, scitè respondisse fertur, *ne tubam non exaudias*. Sic nempè, quem regni hæredem speravit, arcanorum tamen participem facere noluit. Nam, si ullibi, in bellô imprimis, silentiô opus. Sed tamen cruenta sceleratorum Principum consilia detegere aliquando licere, *Osiander*, Theologorum facilè Antesignanus, docet. (y)

§. VIII. Tegat proinde consilia bona, eaque sine ullâ pertinaciâ tamen, constanter tueatur. Ne inconstans, nec satis superstes sibi esse videatur, dum, ut eorum qui dominantur similtas fert, ita bonum malumque publicum existimat. Si tamen necessitas aliqua ingruat, & eâ procellæ oriantur, quæ priora consilia satis damnosa doceant, prudentis potiùs est, quàm inconstantis sententiam, tanquam aliquod navigium, è Reip. tempestate ritè moderari. *Dies sepè hic alios mores, aliam vitam postulat*. Ut hinc *T. Reinking* (z) parùm rectè *Carolus V.* Germanorû conventus viperis assimulasse judicet; quòd *ut istæ matres suas tollant: sic illorum posteriora decreta, priora*. Quod tamen dictèrium laudasse videtur *Lipsius*. (a) Nobis laude dignum vetus illud effatum videtur: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO.

§. IX. Quod si jam prudenti & salubri consilio pariter eventus responderit, non nimis animum tollat aut cristas erigat Consiliarius, sed DEO adscribat fortunam: si parùm responderit, non animum abjiciat, sed humaniter ferat, & animò præsentis aliter Reip. rationibus prospiciat. Nam *sepè prava magis quàm bona consilia prosperè eveniunt*. Dominatur ac ludit in rebus humanis ex libidine suâ *Fortuna*, inquit gentilis; (a) Imò, ut magis piè ore loquar, præponens ille DEUS pro suò arbitrii consilia regit. Vide Theologum eximium jam nunc laudatum. (b) Magnus proinde error,

(x) l. 38. §. 1. D. de Pœnis. (y) ad 2. Sam. c. 15. v. 34. (z) l. 2. Cl. 2. c. 5. n. 24. de Reg. Sec. & Eccl. (a) in Not. ad l. 3. c. 5. Polit. (b) *Salustius* ad Cæs. (c) in 2. Sam. c. 17. v. 14. cui adde *Lips.* in Not. ad l. 3. Pol. c. 8. *Först.* ad l. 4. *Annal. Tac.* p. 390. sed

sed valdè frequens, prava consilia ex felici eventu laudare, bona
ob diversam fortunam damnare.

————— ————— careat successibus, opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Carthaginenses inde Duces suos, pravò consiliò bellum geren-
tes, etsi prospera fortuna eventui respondisset, stultos tanquam
homines, & Reip. perniciosos cruci affigebant: quod benè gesse-
rant, Deorum immortalium adjutorio; quod mali commiserant,
ipsorum culpæ imputantes. Neque enim eventum atque casus, sed
consilia spectarunt. Consilium decet sapienter & maturè deli-
berare; eventum, cui impar, Deo permittere. Unum adhuc *Porik-*
ma addamus: quod si fecerimus, mox ad ultimum progrediemur
Caput. *Malum Consilium Consultori pessimum.* Quod monitum *Rich-*
teri (d) est. Cujus rei exempla in omnium seculorum tam sacris,
quàm profanis Historicis prostant. Videatur *Camerarius*, (e)
Schönbornerus (f) & alii plures.

CAPUT ULTIMUM

DE

PRÆMIIS ET PRIVILEGIIS CONSILIARII.

D *Vbitatur de Lipsii & Schönborneri opinione:*
Recensentur privilegia: Num in ipsos Consiliarios læsæ
Majestatis crimen committatur: Magnis Regum ministris mi-
ser plerumq; exitus:

§. I. Principem oportere nec bona consilia præmiis, nec ma-
la, ex eventu talia, pœnis adficere, *Politici* docent. Posterius uti u-
trâque largimur manu: sic de priori adhuc hæremus. Quicquid
etiam hîc Principi suadeant *Lipsius* (g) & perpetuus ejus comes
Schörbornerus. (h)

§. II. Sed dicendum jam erit de potissimis Consiliariorum
privilegiis, quorum primum est, quòd sine læsæ Majestatis crimine
lædere eos nemo subditorum possit, & maximè, si intuitu ipsius

(d) in *Axiom. Pol.* 148. (e) 1. *Cent. Med. Hist.* c. 9. (f) l. 3. *Polit.* c. 15.
(g) l. 3. *Polit.* c. 8. (h) l. 3. *Pol.* c. 26.

Print-



Principis injuriam Iphis inferant. (i) Pleni quasi sunt undiquaque summæ majestatis, & Principem suum ubiq; repræsentant, ut verus Jctus Baldus loqui amat. (k) Nam & pars corporis Principum dicuntur, (l) & illorum ordini Principes seipsos adnumerare non verentur. (m)

§. III. *Secundò*, Patriæ potestatis nexu liberos eos esse, Juris docent Doctores.

§. IV. *Tertiò* ab omnibus muneribus aliisque oneribus immunes faciunt, tum personalibus, tum patrimonialibus. V. Dd. ad L. VI. C. de Prof. & Med.

§. V. *Quartò* Nobiles jure civili esse censentur. Inde & Nobilium mundò seu habitu uti jure queunt, Policenordnung de Anno 1530. & Anno 1540. Tit. vom Adel; Nobilium præterea aliorum instar neq; torturis, neq; quæstionibus subjici debent.

§. VI. *Quintò* in Collegiò quòdam versantes, quamvis Doctoris titulò publicè ornati non sint, Doctorum sedes nò solum occupant, sed & Doctores reliquos, quanquam seniores, neq; tamen in excelsò ejusmodi dignitatis gradu collocatos, plerumq; præcedunt.

§. VII. Rude donatis & de Principe atque universà Rep. benè meritis certi honores atque reditus (vulgò Gnadengelder dicuntur) deferuntur. Sed de his audiendi imprimis Juris & Legum Consultissimi: nobis attigisse saltem hæc sufficiat. Plura ejusmodi facili quidem labore colligere liceret: sed illa aliorum industria lubentes relinquimus.

§. VIII. Animus quoq; erat, Colophonis locò excutere illud Politicorum: *Magnis Regum ministris miser plerumq; & cruentus exitus*. Sed pagellarum harum angustia (quæ ipsa etiam sat benè multa, jam tum in hanc rem notata expungere iterum jussit) exclusi remittimus rerum harum cupidos ad Gruterum (n) Christ. Förstnerum, (o) J. Lipsium, (p) & cum primis G. Richterum. (q) Nos ad illum, cum quò cepimus, h. e. DEUM Optimum Eundemque Maximum pedem referimus, Ipsi totò de pectore pro præstitò auxiliò devotissimas agentes gratias.

(i) l. 5. C. ad Leg. Jul. Maj. (k) ad l. etiam in pr. C. de fideic. (l) l. cit. (m) l. 8. C. de dignit. (n) lib. 2. ad Tacit. (o) in Not. Pol. ad Ejusdem 3. Annal. (p) l. 3. Polit. c. II. (q) in de incertò ac mutabili Aulicorù valore Orat. 3. Dec. 1.

F I N I S.

U8 A 6412


Sf

ULB Halle 3
002 920 379


U8 77

Retro ✓





27

Q. D. B. V.
 DE
CONSILIARIO
 Exercitatio,
 quam
 PRÆSIDE
JOHANNES ERNESTO
GERHARDO, D. ET
 PROF. PUBL.

publicæ disquisitioni
submittit
 M. JOH. FRIDERICUS GERHARDUS,
 ad d. 14. Decembr.
 1713.

In Auditoriô Majori.

J E N Æ,
 Typis GEORGII SENGENVVALDI.

